



DE
REIPUBLICAE ROMANAE
EA FORMA,
QUA
L. CORNELIUS SULLA DICTATOR
TOTAM REM ROMANAM
ORDINIBUS, MAGISTRATIBUS, COMITIIS
COMMUTAVIT.

SCRIPSIT
ALEXANDER WITTICH
ISENACENSIS.

COMMENTATIO
DE SENTENTIA AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
ACAD. JENENSIS
PRIMARIO ORNATA PRAEMIO
CAL. SEPT. A. MDCCCXXXII.

LIPSIAE,
APUD AUGUSTUM LEHNHOLDUM.
MDCCCXXXIV.

GOETTLINGIO

DOCTORI SUO DILECTISSIMO

HAS STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

GRATO OFFERT ANIMO

AUCTOR.

enim? Hoc vel jam ad maximam partem explicabit dictatoris acta ipsamque, cujus auctor exstitit, reipublicae commutationem. Nec ignobilis illa fuit nullisque clara honoribus et magistratibus gens Cornelia; adeo habuit Sulla inter majores, qui consulatu fuisset functus. Deinde intermissa, ut ait Vell. Pat. II, 17 familiae claritudo. Recte quidem! Sed nonnisi ita credo paullulum intermissa est, ut eo magis inclaresceret, gloriaque eo magis splenderet. Ipsius Sullae quem consideramus juventus longe secus transacta est, ac putares: haud licuit magni aliquid de juvene divinare, quippe qui in re non satis lauta esset natus, qui careret idcirco facultatibus, careret rerum agendarum opportunitate, careret fautoribus, amicis, qui ejus promovere possent studia. Itaque ne ipse quidem ad honores videbatur adspirare (Vell. Pat. II, 17); temporis haud exiguam partem consumsit ita, ut in omnis luxuriae sordibus (Val. Max. VI, 9, 6) deliteret. Adeo verum est quod dicit Plin. VI, 23: „Nemini tam clarum ingenium est, ut possit emergere, nisi illi materia, occasio, fautor etiam commendatorque contingat.“ Quid impulerit maxime Sullam ad novam veluti vitam ingrediendam, scriptum non exstat; certe emersit tandem aliquando ex consuetudinis, quam usque adhuc tenuerat, immunditie et labe; quaestor Marium comitatus est adversus Jugurtham cum exercitu proficiscentem. Magna et supra vulgarem modum elata ingenia, cum primum altius aliquid spirare coepissent, luxuriei et mollitiei non ita alligata esse solere, ut avelli nequirent; hoc vel apertissime apparuit in Sullae quaestura. Etenim omnem amplexus est constantiam,

temperantiam, fortitudinem, eumque sese praebuit Mario, quem Consul in omnem arduarum vocare posset communionem rerum gerendarum. Vehementer igitur eventus Marii fefellit exspectationem, qui teste Valerio Maximo VI, 9, 6 aegre primum tulisse fertur, quod sibi asperrimum in Africa bellum gerenti, tam delicatus quaestor sorte obvenisset. Quin imo Sullae consilio, arte, labore factum est, ut Jugurthae praeberetur Mario copia. Nam Bocchus tradidit Sullae socerum suum, quem postmodo Marius Romae in triumpho duxit: postremo in carcere publico exspiravit Jugurtha fame vitam omni nequitia, perfidia, scelere contaminatam. Quaestura, quem veluti primum escendit honorum gradum ad omnes deinceps alios altissimos quosque honores impetrandos, quomodo functus fuerit, et quid potissimum memorabile egerit, videmus: licet autem porro hic deprehendere simultatis quae intercessit inter Marium Sullamque, reipublicae admodum aliquando nociturae, principium ac fontem. Fuere enim haud pauci, qui Mario omni modo obtrectabant novo homini, propter morum urbanitatem venustatemque non ita conspicuo, in quo quasi ruris etiam apparerent vestigia: ipsum nihil omnino fecisse arguebant, omnem belli laudem atque gloriam in Sullam quaestorem transferendam esse contendebant. Nec is esse videbatur Sulla, qui tales rumores refutare admodum laboraret, contra ambitiosius re et factis suis illos comprobabat, et quae „haesit capiti multa cum laude corona“ eam Mario studebat eripere. In quo quis laudaverit eorum conatus, qui Mario laudem inviderent suam, quis non jure repre-

henderit Sullam illorum studia adjuvantem, adeo quis omnem quaestoriam oblivisceretur fidem pietatemque? Agnoscas hic licet ipsam Nemesin, vindicta gravi omnium persequentem mortalium delicta! Nec Marius olim laude sua debita frui passus est Metellum, contra maligne fraudavit illum gloria meritis quaesita. Ejusdem Sulla auctor fuit injuriae! Haec igitur simultas, levis adhuc atque tenuis ab initio, incrementa cepit postea, quae Romae cladem indignissimam et perniciem accelerarent. Ad veterem invidiam atque pravam aemulationem accessio facta est bello in Cimbros Teutonosque, quod quanta minitatum fuerit Romae pericula, hoc loco indicare non est necesse. Hoc maxime bellum Marium ita nobilitavit, ut patris patriae dignissimus haberetur cognomine valde sane honorifico, et admirabili gloria ad deos paene eveheretur. Nec tamen in hoc bello periculosissimo Sullae exigua fuit opera, contra vehementer adjuvit virtute sua atque prudentia Marii conatus. Id ipsum autem fuit, quod nollet ille gloriae cupidine nimis incensus. Si quid bene succederet, sibi solummodo deberi voluit, aliis aut merendi eripuit opportunitatem, aut illorum res praeclare gestas obscuravit sibique vindicavit. Haec est illa gloriae nimia cupido, quam longissime aufugere jubet Euripides, cfr. Plut. Sulla IV. Arist. Polit. II, c. 9. Recte! Quam enim perniciosa illa facta fuerit reipublicae, larga probandi adest occasio. Sulla igitur quoniam nihil non et feliciter perageret et prudenter, adeoque solus praestaret cum Catuli tum vero etiam Marii exercitui gravissima officia, unde vel maxime videretur pendere belli prosper

GOETTLINGIO

DOCTORI SUO DILECTISSIMO

HAS STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

GRATO OFFERT ANIMO

AUCTOR.

demum sanguinis profusa copia, exstinctum est. Quos autem habuit Roma viros belli gloria conspicuos, eos evocabat, ut praecipitantem sustentarent rempublicam. Sullae in hoc bello tanta exstitit gloria, tam longe lateque illa patuit, ut Marius sese plane obscurari videret, famamque suam senescere perterrefactus animadverteret. *Μάριος μὲν οὐδὲν ἀποδεῖξαι μέγα δυνηθεὶς, ἤλεγχε τὴν πολεμικὴν ἀρετὴν ἀκμῆς καὶ ῥώμης δεομένην.* Plut. Sulla VI. Quid? Poteratne Marius, qui totiens honorum escenderat fastigium consulatum, gloria victoriis parta, frui quiete, poteratne senectutem ingravescentem otio honesto transigere, eaque ipsa cum gaudio recordari, quae cum virtute summa gesserat? Recte vocat Plutarchus *δοξομανίαν καὶ φιλοτιμίαν ἀγήρατα πάθη*: his cupiditatibus exagitatus Marius, haud sibi acquiescendum esse putavit in iis quibus jam nobilitatus fuit triumphis: enixe studuit ut belli adversus Mithridatem exsisteret dux, quem Vell. Pat. II, 18 appellat acerrimum bello, consiliis ducem, militem manu, odio in Romanos Hannibalem. Proxime jam instabat bellum civile inter Marium et Sullam, cujus indignabundi legimus caedes et atrocissima facinora. Contaminavit gloriam suam Marius, qui hoc excitaret bellum; breviter enim, sed satis bene narrat Flor. III, 21: „Initium et causa belli inexplebilis honorum Marii fames, dum decretam Sullae provinciam Sulpicia lege sollicitat.“ cfr. Vell. Pat. II, 18. Ecquis est ita acerbus et morosus rerum aestimator, ut Sullam habeat omni opprobrio dignum, quod ille exercitum sibi propitium reddere, cum eo Romam reverti, ibique tumultus auctores,

praeprimis Marium atque Sulpitium, urbe exturbare studuerit? Quid dignum hic istis tragoediis? Scilicet sedit Sullae alta mente reposta injuria. Res urbanas quum primum ordinasset et, ne tale quid in posterum fieri posset, prospexisset et cavisset, gnaviter festinavit adversus Mithridatem. Jam incidimus in eam vitae partem, quam quomodo satis efferas laudibus, sane possis dubitare. Etenim exiguis copiis Mithridatis duces ita debellavit, ut paucissimae maximorum exercituum restarent reliquiae, eoque denique deduxit Mithridatem, ut pacem ille quovis modo pangendam putaret. Nil attinet ut, quae leviter adumbraverim, ea magis elaborare coner. Enimvero nonnisi praecipuos me oportet delibare locos, unde exsistat quaedam et viri et ipsius vitae notitia. Ex Plutarcho omnia accuratiora et uberiora haurias, qui, quod ad vitae attinet vicissitudines, rem cum pulvisculo exhausit, imo multus fuit in portentis omnibus atque prodigiis cum singulari studio pulcre enarrandis. Utinam potius placuisset reipublicae nobis depingere formam qualem dictator constituit. De hac autem altum obtinuit silentium! Si quis ita succenseat Sullae ut dicat, graviter quidem illum in Mithridatem animadvertisse videri (cfr. Plut. S. 22. Vell. Pat. II, 23), at hunc Romanorum hostem acerbissimum et omnium maxime metuendum, quippe qui omnes per Asiam cives Romanos uno die trucidandos curasset (Plut. S. 24. Vell. Pat. II, 18), plane fuisse delendum et omni vel levissima terrae particula privandum: is respiciat quod ipse Sulla militibus suis, qui eodem nomine sibi irascerentur, fertur respondisse, nimirum

uno tempore et adversus Mithridatem et contra Fimbriam bellum gerere sese non potuisse. Quid enim futurum fuisset, si alter cum altero in gratiam rediisset, uterque autem consociatis et conjunctis copiis facultatibusque in se hostis exstitisset? Fimbriae quam injeci mentionem me admonet, ut ne plane silentio praetereundum esse existimem urbanarum rerum, dum Sulla in Graecia versabatur et in Asia, miserrimam conditionem. Vixdum enim urbi Romae Sulla valedixerat, ut adversus Mithridatem proficisceretur, quum exsisteret Cinna gravissimus inimicus, ad ejusque accederet confestim acta subvertenda saluberrima. Quid autem magis incusemus oportet, temeritatemne hominis, an improbitatem atque perfidiam? Etenim Cinnam Sulla constituerat consulem, eumque hoc beneficio sibi satis obstrinxisse arbitratus erat: Cinna autem ipse in Capitolium deorum sese contulerat sanctissimum domicilium, ibique jurejurando gravi interposito affirmarat, Sullae sese in omne tempus propitium mansurum esse. Quid? Deorum adeo imprecatus fuit sibi vindictam, si violasset jusjurandum. Scilicet turpiter abusus est deorum ipsorum praesentia, ut Sullam eo magis confirmaret, eumque eo ita securius posset decipere atque circumvenire. Ille igitur impatiens morae, quum decessisset Sulla ex urbe, hujus acta infringere conatus est, et perniciosissimas tulit leges. Urbe, uti par erat, optimi cujusque labore expulsus, ad exercitum qui erat circa Nolam sese contulit, hunc pollicitationibus suum reddidit, Marium ejusque filium, scilicet ne splendidis carerent nominibus conatus nefarii, de exsilio revocavit, et patriae bellum intulit.

Urbem denique illi introlverunt, statim, uti narrat Flor. III, 21, ad principum caedem signo dato, aliquanto saevius, quam aut in Punica, aut in Cimbrica urbe saevitur: decus senatorii ordinis interiit (cfr. Phil. Cs. or. in fragg. Sall. §. 11. Cic. or. II post redit. c. 15. pro Sext. c. 36. Vell. Pat. II, 22). Quid autem dicamus de popularibus partibus? Ad excusandum Sullam equidem nil profero, qui post ferro et igni populares illas partes delendas exstirpandasque censuit: hoc dico, quemque inflammari debere summa justissimaque ira, cum respexerit nefandas illas caedes, quas perpetravere illo tempore Marius, Cinna, alii. Quid? In ipsos Sullae maxime saeviere amicos, ipsius adeo aedes villasque vastarunt incendio; vix ejus uxor Metella, liberique vix illorum elapsi fuerant saevitiam atque crudelitatem: ceterum ita ad ipsum confugerant nobiles, ut senatus paene totus apud se confluxisse videretur. cfr. Vell. Pat. II, 23. Plut. Sulla 22. Praeterea Valerius Flaccus consul ab inimicis constitutus, eique Asia provincia sorte obvenerat. Hunc autem non tam contra Mithridatem, quam adversus se propius accedere cum exercitu, bene perspexit Sulla, indeque non in mediocres sese redactum sensit angustias. At fortunam nullo tempore non habuit fautricem: nimirum Flaccum interemit Fimbria; hic autem, quum suos ad Sullam frequentes transire milites, se ipsum contra videret deseri, mortem sibi conscivit. Non immerito eo maxime nomine laudavit Sullam Vell. Pat. II, 24 quod, cum Italiam Romamque per triennium fere ab adversariis videret teneri, ante tamen hostem vincendum quam

civem ulciscendum putasset. Nunc aderat tempus quo opitulari posset amicis: etenim pacatus erat Mithridates et ita viribus destitutus, ut in praesens bellum iterum movere posse non videretur; Fimbriae qui fuit antea exercitus non solum non infestus sibi erat, sed potius valde addictus: itaque in Italiam trajicere in animum induxit. Omnia praeclare processere: omnes adversarium partium duces aut devicit, aut illorum exercitus arte ad se allexit; denique ancipiti sane praelio ante ipsam portam Collinam ita omnes hostium copias debellavit, ut nil impediret quominus urbem Romam introiret.

At quae nunc facta sunt, quoniam ad acta sua sustentanda pertinere existimo, alio loco commemorabo: illud nonnisi dicam, caedes innumerabiles esse factas, adeoque causam adfuisse cur Furfidius quidam admoneret Sullam: „Vivere aliquos debere, ut essent, quibus imperarent.“ Flor. III, 21. Dictator dictus id maxime studuit, ut omni Romam ratione redderet quietam, tolleretque tumultuum seditionumque civilium opportunitatem. Leges idcirco scripsit, novamque constituit reipublicae conditionem. Postremo, quum, quantum posset, reipublicae prospexisset, nihilque non fecisset ad diuturnitatem actis suis conciliandam: dictatura sese abdicavit, Plut. S. 34, ut credo e longinquo leges suas intueretur quomodo sese haberent, utrumne omnibus numeris viderentur esse absolutae, an commutandae potius atque hac aliave ex parte corrigendae.

At vero illud acta sua e longinquo quasi considerandi negotium sorte denegatum fuit per magnum continuare temporis spatium. Etenim oppressus eo

morbo, qui vel maxime taedio fastidioque et summis miseros afficere debet molestiis, ab hac in terris migratione mox abiit ad coelestes cognatos. Ut autem haec qualiscunque de ejus vita enarratio vel ipsum mortui corpus prosequatur, de funeris pompa quae fuerit Plutarchum audiamus testem, in extrema operis sui parte narrantem breviter itemque pulcerrime et ad nos commovendos aptissime. Aromatum, inquit, tam incredibilem apportarunt mulieres copiam, ut et fercula complerent ducenta decem integra, et vero inde tum ipsius Sullae satis grandis imago, tum quaedam lictoris ex pretiosissimo turis arbore et ex cinnamo fingeretur. Nubibus autem ita illo die coelum erat obvolutum, quo vellent corpus efferre, ut quum pluviam usque exspectarent, circa nonam demum diei horam rem perficere possent. Ventorum afflabat satis magna vis, quae ignis ingentem excitavit flammam: vixdum autem crematum erat corpus, pyraeque exstinctus ignis, quum larga decideret pluviae copia, quae ad multam perduraret noctem. Itaque illa fortuna fautrix quae viro fuit (unde adeo cognomen sibi vindicavit, cfr. Plut. S. 34. de Romanor. fortuna p. 318) nec mortuum deseruisse videbatur. Sepulcrum in Campo Martio exstruebatur; inscriptio autem, quam sibi ipse vivus composuerat, hanc fere expressit sententiam, sese nec ab amicis affectum esse ita beneficiis, nec injuriis ita ab inimicis, ut non utrisque quasi majori etiam reddidisse videretur mensura cfr. App. b. c. I, 105, 106.

Haec fuere, quae de Sullae vita ejusque vicissitudinibus in medium proferre non absque re visum

fuit: leviter attingere, quam accuratissime omnia colligere undequaque ex omnibus scriptoribus, consultius videbatur. Ex proposito autem meo amplius dicendum est de Sullae animo, moribus, charactere, de quo video in vulgus judicari et iniquius et imprudentius.

§. II.

Qui tandem fiat, ut, quo praeclariora de naturae quasi manibus prodeant ingenia, eo illa saepe repeperiantur procliviora ad quamque libidinem amplectendam et ad omne cupiditatum servitium, hoc et ipse saepe mecum cogitavi, et alius cujusque credo sollicitum reddere potest animum. Magnorum ingeniorum haec plerumque apparet indoles, ut nullo tempore esse possint otiosa, ut semper aliquid agant atque moliantur. At vero si nesciunt, ad quas potissimum res transferre honeste possint operam suam atque industriam, ad luxuriem potissimum delabuntur, quippe quae corporis sensus ita afficit et allicit, ut, nisi ratio vigeat in animo, vix illi resistas. Quis igitur dubitaverit, in eo maxime institutionis puerilis juvenilisque conspici debere partes, ut vera a falsis, sincera a fucatis, recta discernere doceat pueros a pravis, ut bonis augeat illos exemplis, ut juvenes denique honesti virtutisque veluti quandam concipiant animo formam et quasi amorem imbibant? Ita efficitur ut resistere possint cupiditatum qualibuscunque illecebris, ut rationem constituant virtutemque sensuum gubernatricem. At quae dixi de juvenilis institutionis commoditatibus, sive quae proficisceretur a parentibus sive ab idoneis magistris: horum ad Sullam nihil pertinuisse videtur,

contra sui juris mature factus (Plut. S. 1 γενόμενος δὲ μειράκιον, ᾤκει παρ' ἑτέροις), quoniam aut non adesset campus, quo cum laude virtus posset excurrere, aut apertum illum esse non videret, ad omnem delapsus est luxuriem atque mollitiam. Quod testatur Val. Max. VI, 9, 6: „L. Sulla usque ad quaesturae comitia vitam libidine, vino, ludicrae artis amore inquinatam transegit.“ Licet autem alius deinde exstiterit, quippe qui omnia postmodum subierit pericula, omnes exantlaverit labores: tamen labes, quae semel ingenio adspersae sunt, ita illi pertinaciter adhaerescunt, ut abstergi vix posse videantur. Hinc explicandum est, quod Sulla, quum ad senectutem jam appropinquaret, tamen juvenilibus illis vitiis totum quantum indulserit Plut. S. 2, 36. Recte dixit Archytas Tarentinus (Cic. de sen. XII): „nullam capitaliorem pestem, quam corporis voluptatem, hominibus a natura datam; cujus voluptatis avidae libidines temere et effrenate ad potiundum incitarentur e. c.“ Quum igitur Sulla artem illam frenandarum cupiditatum non tenuerit, vide quae per sequelam alia inde enata fuerint vitia, quae porro quemadmodum offecerint praeclaris aliis animi dotibus. Insita enim illi fuit quaedam teneritas et mollitudo, ut acri sensu injuriarum moveretur, adeoque facilis esset ad lacrimandum (cfr. Plut. S. 30: „καὶ πρὸς οἶκτον ὑγρὸς, ὥςτε ῥᾳδίως ἐπιδακρύειν). Quid autem dicamus cum legimus, Sullam omni humanitate, omni misericordia destitutum homines trucidasse omnis generis, omnis ordinis? „Imperio suo, ut Vell. Pat. II, 28 refert, ad immodicae crudelitatis licentiam usus est.“ Etenim antea graviter

GOETTLINGIO

DOCTORI SUO DILECTISSIMO

HAS STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

GRATO OFFERT ANIMO

AUCTOR.

LIBER I.

DE POPULO.

PARS I.

DE TRIBUNATU.

CAPUT I.

De tribunatus magna, quae tempore procedente exstiterit, potestate.

§. I.

Tribunatus primordia quod non prorsus negligenda nec silentio mihi praetermittenda esse putem, id ne mirentur Viri Docti! Quo me enim defendam non longe circumspiciam oportet exemplum. Licebit Cornelii Sisennae pro meis usurpare haec verba: „Literis gesta iccirco continentia mandavimus, ne vellicatim aut saltuatim scribendo lectorum animos impediremus.“ Haec Sisenna, cfr. Gell. N. A. XII, 15. Ruhnk. ad Vell. Pat. II, 9. At gravius aliquanto in eo positum est argumentum, quod, quo melius illa perspexeris priora, eo tibi clarius elucescet tribunatus forma atque conditio, quam Sulla dictator constituit. Quid potissimum in causa fuerit, cur primum creati sint tribuni plebis, bene illustrabit

belli gerendi ratio. Non in more positum fuit, ut milites, dum bellabant, a civitate sustentarentur, aut armis instruerentur. Minime vero! sese ipse sustentabat miles, armis instruebat. Regibus exactis quum in continuis diuturnisque bellis plebeji versarentur, quum idcirco nec agros colere, nec messem facere possent, quid mirum, si temporis decursu aere alieno ita obrueretur plebes, ut fere desperata esset ejus conditio? Praeterea legibus summa in debitores concessa fuit creditoribus potestas, adeo ut, qui solvere nequiret, eum in vincula possent deducere, eoque pro servo uti. Crudeles illi Patricii, genere mirum quantum nobilitateque superbientes, turpiter illo jure usi sunt. Hinc Liv. II, 23 plebejos homines ita fecit loquentes: „se, foris pro libertate et imperio dimicantes, domi a civibus captos esse et oppressos; tutioremque in bello, quam in pace, inter hostes, quam inter cives libertatem plebis esse.“ Quid factum sit, cum ex summa aeris alieni magnitudine, tum maxime ex nefaria, qua patricii creditores saevierint in plebejos debitores, crudelitate, inter omnes constat. Quum igitur patres agerent cum plebe, ut in civitatem rediret, et novae, quod fortasse amplexa fuerat, condendae urbis relinqueret consilium, nonne vero perquam simile est, reditus conditiones vel inprimis constitisse et in diminuendo, quo obruta fuit, aere alieno, et in corrigendis levandisque iis legibus, quibus creditoribus in servitutem debitores concederentur? Hoc sine dubio caput fuit foederis inter utrumque ordinem icti. Verum quantopere a consulibus et in universum a senatu patriciisque vexata fuisset plebs,

temperantiam, fortitudinem, eumque sese praebuit Mario, quem Consul in omnem arduarum vocare posset communionem rerum gerendarum. Vehementer igitur eventus Marii fefellit exspectationem, qui teste Valerio Maximo VI, 9, 6 aegre primum tulisse fertur, quod sibi asperrimum in Africa bellum gerenti, tam delicatus quaestor sorte obvenisset. Quin imo Sullae consilio, arte, labore factum est, ut Jugurthae praeberetur Mario copia. Nam Bocchus tradidit Sullae socerum suum, quem postmodo Marius Romae in triumpho duxit: postremo in carcere publico exspiravit Jugurtha fame vitam omni nequitia, perfidia, scelere contaminatam. Quaestura, quem veluti primum escendit honorum gradum ad omnes deinceps alios altissimos quosque honores impetrandos, quomodo functus fuerit, et quid potissimum memorabile egerit, videmus: licet autem porro hic deprehendere simultatis quae intercessit inter Marium Sullamque, reipublicae admodum aliquando nociturae, principium ac fontem. Fuere enim haud pauci, qui Mario omni modo obtrectabant novo homini, propter morum urbanitatem venustatemque non ita conspicuo, in quo quasi ruris etiam apparerent vestigia: ipsum nihil omnino fecisse arguebant, omnem belli laudem atque gloriam in Sullam quaestorem transferendam esse contendebant. Nec is esse videbatur Sulla, qui tales rumores refutare admodum laboraret, contra ambitiosius re et factis suis illos comprobabat, et quae „haesit capiti multa cum laude corona" eam Mario studebat eripere. In quo quis laudaverit eorum conatus, qui Mario laudem inviderent suam, quis non jure repre-

uno tempore et adversus Mithridatem et contra Fimbriam bellum gerere sese non potuisse. Quid enim futurum fuisset, si alter cum altero in gratiam rediisset, uterque autem consociatis et conjunctis copiis facultatibusque in se hostis exstitisset? Fimbriae quam injeci mentionem me admonet, ut ne plane silentio praetereundum esse existimem urbanarum rerum, dum Sulla in Graecia versabatur et in Asia, miserrimam conditionem. Vixdum enim urbi Romae Sulla valedixerat, ut adversus Mithridatem proficisceretur, quum exsisteret Cinna gravissimus inimicus, ad ejusque accederet confestim acta subvertenda saluberrima. Quid autem magis incusemus oportet, temeritatemne hominis, an improbitatem atque perfidiam? Etenim Cinnam Sulla constituerat consulem, eumque hoc beneficio sibi satis obstrinxisse arbitratus erat: Cinna autem ipse in Capitolium deorum sese contulerat sanctissimum domicilium, ibique jurejurando gravi interposito affirmarat, Sullae sese in omne tempus propitium mansurum esse. Quid? Deorum adeo imprecatus fuit sibi vindictam, si violasset jusjurandum. Scilicet turpiter abusus est deorum ipsorum praesentia, ut Sullam eo magis confirmaret, eumque eo ita securius posset decipere atque circumvenire. Ille igitur impatiens morae, quum decessisset Sulla ex urbe, hujus acta infringere conatus est, et perniciosissimas tulit leges. Urbe, uti par erat, optimi cujusque labore expulsus, ad exercitum qui erat circa Nolam sese contulit, hunc pollicitationibus suum reddidit, Marium ejusque filium, scilicet ne splendidis carerent nominibus conatus nefarii, de exsilio revocavit, et patriae bellum intulit.

Urbem denique illi introiverunt, statim, uti narrat Flor. III, 21, ad principum caedem signo dato, aliquanto saevius, quam aut in Punica, aut in Cimbrica urbe saevitur: decus senatorii ordinis interiit (cfr. Phil. Cs. or. in fragg. Sall. §. 11. Cic. or. II post redit. c. 15. pro Sext. c. 36. Vell. Pat. II, 22). Quid autem dicamus de popularibus partibus? Ad excusandum Sullam equidem nil profero, qui post ferro et igni populares illas partes delendas exstirpandasque censuit: hoc dico, quemque inflammari debere summa justissimaque ira, cum respexerit nefandas illas caedes, quas perpetravere illo tempore Marius, Cinna, alii. Quid? In ipsos Sullae maxime saeviere amicos, ipsius adeo aedes villasque vastarunt incendio; vix ejus uxor Metella, liberique vix illorum elapsi fuerant saevitiam atque crudelitatem: ceterum ita ad ipsum confugerant nobiles, ut senatus paene totus apud se confluxisse videretur. cfr. Vell. Pat. II, 23. Plut. Sulla 22. Praeterea Valerius Flaccus consul ab inimicis constitutus, eique Asia provincia sorte obvenerat. Hunc autem non tam contra Mithridatem, quam adversus se propius accedere cum exercitu, bene perspexit Sulla, indeque non in mediocres sese redactum sensit angustias. At fortunam nullo tempore non habuit fautricem: nimirum Flaccum interemit Fimbria; hic autem, quum suos ad Sullam frequentes transire milites, se ipsum contra videret deseri, mortem sibi conscivit. Non immerito eo maxime nomine laudavit Sullam Vell. Pat. II, 24 quod, cum Italiam Romamque per triennium fere ab adversariis videret teneri, ante tamen hostem vincendum quam

enim? Hoc vel jam ad maximam partem explicabit dictatoris acta ipsamque, cujus auctor exstitit, reipublicae commutationem. Nec ignobilis illa fuit nullisque clara honoribus et magistratibus gens Cornelia; adeo habuit Sulla inter majores, qui consulatu fuisset functus. Deinde intermissa, ut ait Vell. Pat. II, 17 familiae claritudo. Recte quidem! Sed nonnisi ita credo paullulum intermissa est, ut eo magis inclaresceret, gloriaque eo magis splenderet. Ipsius Sullae quem consideramus juventus longe secus transacta est, ac putares: haud licuit magni aliquid de juvene divinare, quippe qui in re non satis lauta esset natus, qui careret idcirco facultatibus, careret rerum agendarum opportunitate, careret fautoribus, amicis, qui ejus promovere possent studia. Itaque ne ipse quidem ad honores videbatur adspirare (Vell. Pat. II, 17); temporis haud exiguam partem consumsit ita, ut in omnis luxuriae sordibus (Val. Max. VI, 9, 6) deliteret. Adeo verum est quod dicit Plin. VI, 23: „Nemini tam clarum ingenium est, ut possit emergere, nisi illi materia, occasio, fautor etiam commendatorque contingat.“ Quid impulerit maxime Sullam ad novam veluti vitam ingrediendam, scriptum non exstat; certe emersit tandem aliquando ex consuetudinis, quam usque adhuc tenuerat, immunditie et labe: quaestor Marium comitatus est adversus Jugurtham cum exercitu proficiscentem. Magna et supra vulgarem modum elata ingenia, cum primum altius aliquid spirare coepissent, luxuriei et mollitiei non ita alligata esse solere, ut avelli nequirent: hoc vel apertissime apparuit in Sullae quaestura. Etenim omnem amplexus est constantiam,

temperantiam, fortitudinem, eumque sese praebuit Mario, quem Consul in omnem arduarum vocare posset communionem rerum gerendarum. Vehementer igitur eventus Marii fefellit exspectationem, qui teste Valerio Maximo VI, 9, 6 aegre primum tulisse fertur, quod sibi asperrimum in Africa bellum gerenti, tam delicatus quaestor sorte obvenisset. Quin imo Sullae consilio, arte, labore factum est, ut Jugurthae praeberetur Mario copia. Nam Bocchus tradidit Sullae socerum suum, quem postmodo Marius Romae in triumpho duxit: postremo in carcere publico exspiravit Jugurtha fame vitam omni nequitia, perfidia, scelere contaminatam. Quaestura, quem veluti primum escendit honorum gradum ad omnes deinceps alios altissimos quosque honores impetrandos, quomodo functus fuerit, et quid potissimum memorabile egerit, videmus: licet autem porro hic deprehendere simultatis quae intercessit inter Marium Sullamque, reipublicae admodum aliquando nociturae, principium ac fontem. Fuere enim haud pauci, qui Mario omni modo obtrectabant novo homini, propter morum urbanitatem venustatemque non ita conspicuo, in quo quasi ruris etiam apparerent vestigia: ipsum nihil omnino fecisse arguebant, omnem belli laudem atque gloriam in Sullam quaestorem transferendam esse contendebant. Nec is esse videbatur Sulla, qui tales rumores refutare admodum laboraret, contra ambitiosius re et factis suis illos comprobabat, et quae „haesit capiti multa cum laude corona" cam Mario studebat eripere. In quo quis laudaverit eorum conatus, qui Mario laudem inviderent suam, quis non jure repre-

henderit Sullam illorum studia adjuvantem, adeo quis omnem quaestoriam oblivisceretur fidem pietatemque? Agnoscas hic licet ipsam Nemesin, vindicta gravi omnium persequentem mortalium delicta! Nec Marius olim laude sua debita frui passus est Metellum, contra maligne fraudavit illum gloria meritis quaesita. Ejusdem Sulla auctor fuit injuriae! Haec igitur simultas, levis adhuc atque tenuis ab initio, incrementa cepit postea, quae Romae cladem indignissimam et perniciem accelerarent. Ad veterem invidiam atque pravam aemulationem accessio facta est bello in Cimbros Teutonosque, quod quanta minitatum fuerit Romae pericula, hoc loco indicare non est necesse. Hoc maxime bellum Marium ita nobilitavit, ut patris patriae dignissimus haberetur cognomine valde sane honorifico, et admirabili gloria ad deos paene eveheretur. Nec tamen in hoc bello periculosissimo Sullae exigua fuit opera, contra vehementer adjuvit virtute sua atque prudentia Marii conatus. Id ipsum autem fuit, quod nollet ille gloriae cupidine nimis incensus. Si quid bene succederet, sibi solummodo deberi voluit, aliis aut merendi eripuit opportunitatem, aut illorum res praeclare gestas obscuravit sibique vindicavit. Haec est illa gloriae nimia cupido, quam longissime aufugere jubet Euripides, cfr. Plut. Sulla IV. Arist. Polit. II, c. 9. Recte! Quam enim perniciosa illa facta fuerit reipublicae, larga probandi adest occasio. Sulla igitur quoniam nihil non et feliciter perageret et prudenter, adeoque solus praestaret cum Catuli tum vero etiam Marii exercitui gravissima officia, unde vel maxime videretur pendere belli prosper

3) Comitiorum impediendorum.
Cfr. Liv. VI, 35. VII, 17, 21; XXVII, 6. Dion. H. VIII, 90. Si qua alia historiae Rom. pars, tribunatus profecto summa admiratione dignus est. Et mirifice me semper adlexit: tribuni pl. enim licet ab initio jura haberent perexigua, sensim tamen pedetentimque summa sibi compararunt. Quum igitur primum haberent nonnisi singulis plebejis auxiliandi vim atque potestatem, eo mox progressi sunt, ut auxilium suum ad omnem plebem pertinere arbitrarentur. Quae aut salutaria Senatus vel Consules plebi instituerent aut perniciosa, ea sibi aut juvanda aut omni modo coercenda et prohibenda esse, ex potestate vocis auxilii non immerito rati sunt. Nec tamen sufficere videbatur illud juvandi et in ordinem cogendi munus. (cfr. Liv. VI, 37: „Non posse aequo jure agi, ubi imperium penes illos, penes se auxilium tantum sit.“) Ipsi si vere vellent plebi auxiliari, bene patriciorum et Senatus summa jura magnasque vires esse infringendas statuerunt: itaque impetum ipsi facere visi sunt, cum antea nihil nisi impetum deberent excipere atque propulsare. Hinc ipsi promulgarunt leges, scilicet id potissimum efficere conantes, ut plebi eadem, quibus insignes fuere patricii, conciliarent jura. Quum autem mox nanciscerentur tributa comitia illud summum jus, nempe ut plebiscita omnes Quirites tenerent, qua lege ex Liv. sententia tribuniciis rogationibus telum acerrimum datum est (Liv. VIII, 12; III, 55. Dion. H. XI, 45. Plin. H. N. XVI, 10. Gell. XV, 27), quum, quaecunque vellent, omnia possent perpetrare, nonne summae prudentiae signum, quod tribunorum

cuique concessum fuisset, legibus, quae a collegis ferrentur, intercedere? (cfr. de Bross. ed Joh. Chr. Schlüter tom. IV, p. 176.) Nam etiamsi unus alterve tribunorum pl. perniciosam aliquam in medium proferret rogationem, tamen omnes illi collegas cessuros esse, vix erat statuendum. (Cic. de legg. III, 10. Quod enim tam desperatum est collegium, in quo nemo e decem sana mente sit?) Ita cautum est, ut unus vel adversus omnes satis sit. Liv. II, 44. Quod Plut. in Catone minore natu c. 20 ita exprimit: „κἂν πάντες οἱ λοιποὶ παρ' ἕνα ψηφίσωνται, τοῦ μὴ θέλοντος μηδ' ἐῶντος τὸ κράτος ἐστί.“ cfr. Polyb. VI, 16. Zonar. VII, 15. Intercessionem igitur quod habeas, collegii Tribunorum aliquod jus non est, uniuscujusque potius adversus reliquos fuit, ut omnes quodammodo coërcerentur ne superbirent, omnemve excederent modum. Alia quaedam tribunorum pl. jura ex iis, quae jam commemoravi, sponte sequentia et ornamenta tribunatus sequenti paragrapho exponam. Nec enim solum quaerendum est, quaenam Sulla tribunis reliquerit jura; illud quoque grave, utrum dignitatem atque ornamenta reliquerit nec ne.

§. III.

Ex Gellio probavimus tribunos pl. creatos fuisse eam solummodo ob causam, ut injuria quae coram fieret arceretur, ne magistratuum patriciorum libidini omnino plebes permitteretur. Illud vero suspicari licet, injuriam non semper fuisse contentam aperta quadam vi inferenda, contra haud raro sitam fuisse in judicio de plebejo homine injuste lato

aequitatique repugnante. Bene mox perspexerunt tribuni pl. haud aliam sibi patere viam ad plebejos ab injuria defendendos, nisi ut iis, qui injuriam inferrent, diem dicerent, plebemque judicium ferre paterentur. Quod sane interdum videbatur longum esse: itaque judicandi potestatem sibi ipsi arrogarunt, quae tamen antea videbatur a se esse remotissima. Ne vero et ipsi temere agerent, injusteque contra jus scriptum vel in majorum more positum judicarent, accuratissime in re judiciali versati sunt, indeque magnam sibi conciliaverunt et laudem et dignitatem. (Gell. IV, 14. Decretum tribunorum visum est gravitatis antiquae plenum.) Quamquam igitur ab initio, quum primum tribunatus constitueretur, omnino abhorruit a jure dicundo, tamen postea factum est, ut supremum quoddam constituerent judicium adeoque inter eos, qui Romae jus dicerent, plurimum auctoritatis sibi compararent et a JCtis primo loco nominarentur. Illud Gellio probatur XIII, 12, cui, ut ipsius utar verbis, tribuni *antiquitus* creati videbantur *non juri dicundo* nec e. c. e. c.: alterius rei testis Pomponius in Fr. 2, §. 34. D. de orig. juris I, 2: „Ergo ex his omnibus X Trib. pl., Consules II, XVIII Praetores, VI Aediles in civitate jura reddebant.“ Si quid aliud, certo haec res habet quo commendetur, adeoque summis laudibus efferatur: ita enim jam per se ii, penes quos judicia erant, magis cavebant, ne ipsi injustum ferrent judicium, quod deinde a tribunis rescinderetur; magis ideoque magisque sese ad veram accomodarunt justitiam. Hujus judicii igitur, ut rem breviter complectar, haec fuit summa, ut

omnium, quae Romae obtinerent, supremum esset atque gravissimum: quod ipsi decreverant, hoc demum habebatur ratum justumque; aliorum, quibus jura reddendi fuit potestas, judiciales sententias ipsi vel emendabant vel confirmabant, vel omnino tollebant. Itaque non dubito, quin conferam haec suprema trib. pl. judicia cum nostris, quae vel dicuntur *Appellationsgericht* vel *Cassationshöfe*. Quam comparationem recte instituit Rubino de tribunatu p. 28. Sunt autem alia multa còmmemoranda, quae pertinent ad interiorem illius judicii rationem atque conditionem, quibus, quum facere videantur ad rem melius intelligendam, non prorsus mihi supersedendum esse censeo. Itaque faciam ut potero brevissime, gravissimaque solummodo afferam: in ceteris satis erit Rubinonem V. D., cui me plurimum debere lubenter confiteor, laudasse. Illinc assumes, quae hic desiderabis. Antequam vero ad eos ipsos mores, qui in illo invaluerint judicio, transeam, vocabula tria hic maxime usitata atque solemnia illustrasse juvabit. Dico

1) *Appellationem* tribunor. pl.

Qui enim haud acquiescebant in judiciali sententia, quique idcirco tribunos pl. sibi auxilio esse volebant, ii plerumque tribunos appellare dicebantur. Sub imperatoribus demum, quo tempore ut ceteri magistratus, ita etiam tribuni prorsus ex nutu principis pendebant, ratio commutata, seu quod res, utpote satis vetusta, in oblivionem abierat, sive quod loquendi usus fuerat commutatus. Ita duobus in Gell. locis, quorum alter fugit Rubinonem l. VII, 19; IV, 14 invenio pro appellatos fuisse tribunos

i: provocatum esse ad tribunos. Quae dictio ea ad populum duntaxat pertinebat.

2) *Decretum*. Est hoc vocabulum fere solemne sententiis a tribunis pl. latis. Idcirco exemplis us non est.

3) *Collegium*. Quo nomine comprehendi soliti int omnes tribuni. Tribunus nunquam fere appelus esse dicitur, semper tribuni, aut collegium bunorum commemoratur.

Quod si igitur quispiam per judicialem sentenm sibi putaret esse illatam injuriam, nec in illa llet acquiescere, appellavit primum tribunos. Hi tem

1) Partes ad subsellia (Liv. 42, 33) sua concabant, vel per viatorem (ut trib. pl. et alii qui bent viatorem Gell. XIII, 12) convocari curant, ut possent rem litigantes, uti se haberet, oferre, sibique ipsi respondere. Dein accurate nsultabant (Liv. 38, 60. Tribuni quum in conium abiissent 42, 32, caeteri cognituros se de o appellati essent ajebant) ita, ut singuli tribuni ntentias dicerent (Ascon. ad Cic. pro Milone 14).

2) Tum, nisi contingeret litem inter partes comnere (Cic. pro Quint. c. 7), collegii sententias in ula perscribebant eique, quid commovisset potisnum, ut ratum non haberent vel totum, quod tea factum erat, judicium, vel ejus partem tantum quam, addi, singulorumque tribunorum nomina bscribi curabant. Liv. XXXIII, 32.

3) Postremo, ut innotesceret, quale tulissent dicium, uni tribunorum dabatur negotium, ut ex

illa tabula sententiam judicialem recitaret. Liv. 38, 60. Gell. VII, 19.

Haec fuerunt, quae in decretis conficiendis, conscribendis, cum partibus communicandis observare soliti sint tribuni. Loci scriptorum primarii, ex quorum comparatione singula licuit colligere capita, sunt fere hi: „Gell. XIII, 12; IV, 14; VII, 19. Valer. Max. VI, 1, §. 7; VI, 5, §. 4.“

Ad intercessionem quod attinet tribunorum in causis judicialibus, raro crediderim illam accidisse. Hic enim haud valuere motus animique perturbationes; in judiciis nec irae nec alii cupiditati erat locus; quiete consultabant inter se, et, si qua in re collega quidam rectius vidisset, alterum libenter concessisse puto. Itaque sapienter fecerunt, qui consensionem tribunorum in decretis requirerent. Hinc cautum, ut singulorum tribunorum nomina decreto subscriberentur (cfr. Liv. 38, 52, cum vetuisset nomen suum decreto collegarum adscribi; Cic. in Verr. II, 2, 41 idque de omnium sententia pronunciatum esse) et nisi consentirent omnes, intercessio sane locum etiam hic obtineret (Gell. VII, 19. Liv. 38, 53, 60).

Ceterum, ut omnino nobis persuadeamus de tribunorum pl. in civitate romana summa dignitate, gravitate, potestate, qua omnes fere alios magistratus longe superarent, ad finiendam hanc judicialem quaestionem haec praeterea in medium proferam. Dico enim

1) Talem fuisse tribunorum decretis gravitatem, ut Gellii testimonio VII, 19 commotus non dubitem, quin publice conservata illa fuisse statuam.

2) Postremo, ut Praetores facere solebant, ipsi etiam trib. pl. edicta promulgabant, ut indicarent normam, quam in jure dicundo essent secuturi, cfr. lic. in Verr. II, 2, 41: „Postremo me ipsum apud collegium hoc tribunorum pl., cum eorum omnium edicto non liceret quempiam Romae esse, qui rei capitalis condemnatus esset, egisse causam Sthenii.“

Cum autem utrique, et praetores et tribuni pl., edicta promulgarent, sane fieri poterat, ut sibi invicem repugnarent. Quod tamen male se habere videbatur. Hinc factum, ut saepe cum praetoribus consultarent, eosque in deliberationem adhiberent, scilicet ne, quod alteri placeret, alterius rationi in judicando repugnaret. In commune igitur saepenumero cum iis abiere consilium. Ita

de re tutelari auctor est Liv. 39, 9,

de re nummaria auctor est Cic. de offic. III, 20 ed. Bei.

De tribunorum pl. jurisdictione haec autem hactenus!

§. IV.

De jure concionum.

Quoniam omnis, ut ipse docet Cic., institutio de aliqua re debet proficisci a definitione, ut intelligatur quid sit id de quo disputetur, quaerendum esse videtur de significatione vocis *concio*. Est

1) locus, unde ad populum dicere solitum erat. Cic. in Senat. 5: in concionem ascendit, i. e. in suggestum.

2) Ipsa oratio, quae ad populum habetur. Hinc illud est: concionem dare Cic. Agr. II, 1: Habent

concionem, in qua gratiam beneficii vestri cum suarum laude conjungunt.

Conciones pro iis, qui concionem constituunt. Petr. Sat. 14: Conciones, quae ad clamorem confluxerunt.

Quarta restat significatio, eaque nos magis attingit, dico eam, qua est conventus sive coetus populi ad oratorem audiendum. Cic. de amic. 25: „Concio, quae ex imperitissimis constat.“ Cum autem vario modo posset populus in unum convenire, cum vel populi pars solummodo aliqua vel omnis populus convocaretur, cum vel ita congregarentur homines, ut illis aliquid innotesceret, vel ita, ut de re quadam in suffragium irent, hinc diverso illi coetus populi insigniebantur nomine. Dicebantur enim vel Conciones, vel Comitia vel Concilia, Gell. XIII, 15. Ex verbis Messalae manifestum est, aliud esse *cum populo agere*, aliud *concionem habere*: nam cum populo agere est rogare quid populum, quod suffragiis suis aut jubeat aut vetet; concionem autem habere est verba facere *sine ulla rogatione*, cfr. Schulze Comit. 141. Gell. XV, 27. Quamquam igitur proprio suo significatu concio prorsus distet et a concilio et a comitiis, tamen saepenumero generali quodam dicitur sensu. Hinc Cic. p. Flacco 7: „Majores nostri nullam vim concionis esse voluerunt, quae scisceret plebs, aut quae populus juberet.“ Nos, cum de tribunorum vi atque potestate dicamus, propterea dicemus de jure concionum, quod, quae jura hic recenseri debent, ea etiam pertinent ad conventus populi alios; deinde quod ipsi quoque veteres scriptores

vocabulo concio utuntur tanquam generali quodam. Habemus itaque conciones etiam eas, in quibus rogabant magistratus aliquid populum, quod suffragiis suis aut juberet aut vetaret. Quatuor potissimum distinguenda sunt jura, nempe concionem habendi atque dimittendi, in concionem producendi et concionem dandi. De quibus seorsim videbimus.

Concionem habere

qui vellet, is primum ut populus convocaretur curabat. Quod fieri solitum erat per praecones, uti Quirites frequentes adessent. Fieri enim potuit, ut seditiosi turbulentique tribuni pl. in quoscunque inciderent, eos tenerent, praetereuntesque ut manerent hortarentur, eosque compellarent — quod tamen a concione longe aberat. Ut enim Festus testatur, significat concio conventum, non tamen alium quam eum, qui a magistratu vel a sacerdote publico per praeconem convocatur. Deinde solemne carmen precationis magistratus praefari solebant ex illo Romanorum more quo, uti testis est Plin. Paneg. I, rerum gerendarum — initium a precationibus instituerent — quod nihil rite, nihilque providenter homines sine Deorum ope — auspicarentur. Hinc factum est, ut (Cic. de div. I, 45) omnibus rebus agendis, quod bonum, faustum, felix, fortunatumque esset, praefarentur. Nec Schulzio in Comit. p. 243 fides habenda, qui solemne illud quod dicitur precationis carmen ad Comitia solummodo Centuriata pertinuisse ratus est. Repugnat enim et ei quem commemoravi Romanorum mori, et testimoniis veterum disertis, cfr. ad Herenn. IV, 55.

Postremo praeco ille audientiam fecit ei, qui concionem haberet, Liv. 43, 16. Praeclarum hoc fuit concionum habendarum jus, quo tribuni saepissime usi sunt. Nulla enim alia re magis et ipsi poterant populum docere, et de populi summa voluntate doceri. Quamquam tribuni haud fuere soli, quibus esset concionum habendarum jus, contra et majoribus et minoribus magistratibus, ut perhibuit Cic. de leg. III, 4: tamen eo tribunorum fuit supremum jus, quod ipsi officere possent legibus iis, quae ab aliis magistratibus promulgarentur, ipsi vero dum agebant cum populo, perturbari non possent, cum tamen majores magistratus a minoribus possent conciones avocare Gell. XIII, 15. Ceterum illud juvat commemorare: conciones, quae proprie dicuntur, plures haberi potuisse, quum contra haud licuerit bifariam cum populo agere. Comitia igitur bifariam ne fierent, cautum fuit; conciones qui habere vellent, iis nemo offecit (cfr. Gell. XIII, 15. Dion. XI, 39 ἑτέραν συνῆγον ἐκκλησίαν).

Concionem dimittendi jus

verbo satis erit attigisse (Cic. Epp. ad Attic. II, 24: jam dimissa concione). Cui vero illud fuit? Fuit penes eos, qui iidem possent populum ad concionem convocare. Exempla, quae persuadeant de tribunis concionem dimittentibus, in promptu sunt. Liv. III, 11. Liv. II, 56. Ceterum mos ille fuit, ut, quod erat ex auctoritate atque majestate populi, concio ut discederet non imperaretur, sed potius cives ut domum discederent commonefierent. Liv. II, 56 ita Appium facit loquentem: „Non enim populi, sed

lebis eum magistratum esse: nec illum ipsum submovere pro imperio posse more majorum, quia ita dicatur: „Si vobis videtur, discedite Quirites.“ cfr. Cic. Cat. III, 12. Brisson. de form. p. 191 et 132. Illud quoque jus, ad quod series me jam rerum traduxit, dico illud:

In concionem producendi,

sane grave erat atque praeclarum. Uti vero omnia tribunorum jura, hoc vel inprimis pertinet ad populi dignitatem majestatemque, nec alio fortasse tribuni saepius usi sunt. Quotiens enim coram populo aliquid ageretur, totiens venire usu poterat, ut vel populus vel tribuni aliquam rem edoceri vellent et idcirco eos in concionem producerent, qui rerum satis videbantur gnari esse. Hinc factum est primum, ut in judiciis, quae coram populo fierent, testes producerentur. Cujus rei exemplum exstat in Liv. l. VI, 36: „Homines prope quadringentos produxisse dicitur, quibus sine foenore expensas pecunias tulisset, quorum bona venire, quos duci addictos prohibuisset.“ cfr. in Verr. II, 1, 47. Quod fieri solitum erat in iis judiciis, quae coram populo fierent, id factum est in iis quoque, quae coram praetore instituerentur *). Tribuni pl., quum saepissime uterentur concionum habendarum jure, illud imprimis sectati sunt, ut plebeji homines

*) Cic. Verr. II, 4, 9. Isti laudatores tui nonne testes mei sunt? Itejus est laudator: laesit gravissime: *producam* ceteros, cfr. V, 50; V, 43. Cic. ad Q. fr.: „Quin etiam Paullus noster, quum *productus* esset testis in Sextium.“ Cic. in Verr. II, 1, 5; II, 3, 43; II, 1, 58. Cic. pro Flacco c. 18.

haberent rerum agendarum adjutores. Confirmarunt illos igitur vel ita, ut primores civitatis secum consentire probarent, eosque idcirco in concionem producerent, vel ita, ut summos viros compellarent, plebi deridendos suppeditarent, iisque invidiam quam possent maximam excitarent. In concionem igitur producere nihil est aliud nisi, quem vel ipsi vel plebes vellent, in conspectum populi Rom. adducere. Hinc patet Ernestum in Cl. Cic. non recte ita explicasse: „in concione alicui potestatem dare dicendi sive quod velit sive testimonium. Qui jam in concione aderant, ii in concionem produci nequaquam dicebantur; illis, ut infra demonstrabo, concio dabatur. Per se jam intelligitur, tribunos, si quem in concionem produxerint, ei vel potestatem dedisse simpliciter ad ea, de quibus ipsi interrogarent, respondendi, vel continuam orationem habendi. cfr. Cic. ad famil. XII, 7: „productus sum in concionem a trib. pl. Dixi de te, quae potui, tanta contentione, quantum forum est, tanto clamore, consensuque populi. Quod autem et in senatu pluribus verbis disserui, et dixi in concione e. c.“ cfr. or. II post redit. c. 6. Triplicem igitur inprimis ob causam producere solebant tribuni pl. Vel enim ut populus doceretur, vel testimonii dicundi causa, vel ut, quos producerent, lacesserent atque vexarent. Cic. Brut. 60. Liv. VI, 36. Quid autem opus est exemplis in re maxime perspicua? Rubino ex Cicerone aliisq. scriptoribus multa, quae hic recoquere nolim, congessit: itaque perpauca afferam, quaedam etiam ex Livio, cujus, nescio quo jure, repudiavit ille auctoritatem (cfr. p. 38 n. 1). Ille in

concionem producendi mos respondet plane majestati populi: idcirco, quum illam jam antiquissimis temporibus liceat agnoscere, crediderim illud quoque jus ad remotissima pertinere tempora. Ceterum commemorare placet, neminem fere tali gavisum fuisse potestate atque auctoritate, quin illum in concionem tribuni producerent. Produxerunt omnis ordinis homines. Consulare munus summum fuit: quo qui instructi fuerunt, saepenumero eos producebant. cfr. Cic. de harusp. resp. c. 23, pro domo 15, pro Sextio 14, in Pison.: „Idem ille fere biduo productus in concionem — cum esses interrogatus." Liv. XXVII, 51 de legatis imperatorum. Liv. XXVII, 10 de Legatis aliarum civitatum foedere cum Romanis conjunctarum. Sall. Jug. 33, 34 de Numidarum rege Jugurtha.

Haec, quae protuli, pauca sufficiant exempla: apud Ciceronem multa alia facili opere possunt inveniri, nec Rubino illorum afferendorum fuit parcus. Duas alias autem quaestiones proponam necesse est.

1) Utrum intercessio invaluerit inter tribunos, si qui in concionem produxerit aliquem, eumque vel interrogatum respondere, vel concionem habere continuam jusserit. Nec Rubino hanc rem silentio praetermisit; tamen confudit duos locos, quorum alter omnino huc non pertinet. Ciceronem enim, quum Metellus trib. in concione eum non sineret dicere, neque alius quisquam produxerat in concionem, nec concionem habere jusserat. Sua sponte, magistratu quum abiret, coram populo voluit concionari. Intercessio autem plerumque pertinuit ad tribunos ipsos sibi invicem officientes. Aptior est

atque ad nostram quaestionem accomodatior alius, quem attulit, locus e Sall. Jug. c. 33, 34 desumptus. Jugurtha cum a Memmio trib. pl. juberetur respondere, C. Baebius contra trib. pl. regem jussit tacere. „Jubeo respondere“ sollemnis esse videtur in hac re formula, cui illud „jubeo tacere“ (Sall. Jug. 34) fortassa oppositum est ex usu dicendi. Ceterum vero etiam in producendi jure invaluisse trib. intercessionem, ex Sall. non licet in dubium vocare.

2) Altera, quam proponam oportet, quaestio haec est: „Fuitne etiam penes alios magistratus jus in concionem producendi?“ Rubino negavit, et videbimus, num recte fecerit nec ne. Primo, quem attulit, loco, qui legitur in epp. ad Attic. II, 24, illud diserte narrat Cicero, a Caesare Consule Vettium productum esse. Haec enim sunt verba: „Postero die Caesar — Vettium in rostra produxit.“ Rubino ita explicat, tanquam auctore Vatinio trib. pl. hoc factum fuerit, quod ea, quae paullo post sequuntur, verba: „cum revocatus a Vatinio esset,“ viderentur indicare. Sed non bene neglexit Rubino ea, quae adnectit Cic., verba: „jam dimissa concione.“ Est enim ita scriptum in epistola: „Addit ad extremum (Vettius), cum, *jam dimissa concione*, revocatus a Vatinio esset.“ Fuit, ut jam supra monui, tribunorum pl. jus, ut concionem dimitterent. Quod cum factum esset, nemo amplius nec in rostra prodire, nec in illis diutius commorari potuit. Itaque Vatinius suo jure illum revocavit. Non melius explicat locum in Cic. orat. pro domo c. 15, ubi haec verba leguntur: „idemque (M. Bibulus) in concione dixit,

ab Appio, fratre tuo, productus." Verba sunt perspicua, nec unquam offendent, nisi quis praeoccupatam sententiam animo imbiberit. Quid? Cum ipse profiteretur Vir doctus, illud in concionem producendi jus non tam pertinuisse ad tribunorum potestatem, quam ad populi reverentiam, cur tandem solis tamen fuisse tribunis pl. contendit? Ego contra putaverim penes omnes fuisse hoc jus, qui potuerint cum populo agere, nec in judiciis solum, sed etiam in concionibus. Ne vero multa! Habeamus fidem Livio, qui l. XXVII, 10 ita narrat: „Senatus, quam poterat honoratissimo decreto allocutus eos, *mandat Consulibus, ut ad populum quoque eos producerent.*" Magna fuere atque praeclara eorum jura qui concionibus possent praeesse. Inter quae gravissimum fuit

Concionem dandi jus,

id est veniam coram populo dicendi aliis civibus impertire. Quos enim ipsi cognorant sibi suisque rogationibus propitios et ea, quaecunque ipsi prolaturi essent, juvaturos, eis sermocinandi coram populo facere consueverunt potestatem. Contra quibus infensi fuere, eos dicere vetuerant. Tribunorum pl. haud scio, an non aliae nullae crebriores fuerint conciones; itaque saepissime jus concionem dandi usurpavere. Quum autem totum tribunorum collegium concionibus una praeesset, nec semper consentiens omnium esset vox atque sententia, sane etiam hic debebat valere intercessio, ne alter tribunus altero videretur majorem habere dignitatem. De utroque breviter agam. Cui concio

erat data, is non ipsa ascendit rostra, sed ex inferiori dicebat, eique, qui concioni praeesset, reliquit honoratiorem in rostris locum (cfr. lic. Brut. 43). Contra autem, qui magna quadam gauderent dignitate atque auctoritate, scilicet ut honore afficerentur, in ipsa producebantur rostra. Cujus rei testis Cic. ad Att. II, 24: „Postero die Caesar, is, qui olim praetor quum esset, Q. Catulum ex inferiori loco jusserat dicere, Vettium in rostra produxit, eumque in eo loco constituit, quo Bibulo consuli aspirare non liceret.“ At vero quaerendum est, utrum habuerint magistratus jus coram populo dicere, etiamsi potestas dicendi non fuerit concessa. Sunt, qui illud pro vero affirment: mihi ratio videtur esse habenda temporum, certe in iis concionibus, quibus tribuni praefuerint. Quum tribuni longe ab aliis magistratibus — nam magistratuum nomen adeo primum ad illos non pertinuisse testis est Liv. II, 56 — et potestate et auctoritate superarentur, credo majores magistratus conciones habuisse, nec veniam dicendi a tribunis petiisse, Liv. III, 63, 72; VI, 38, 40; XXXIV, 1. Temporum vero ratio commutata est, et quum alios paene omnes magistratus longe deinceps tribunatus superaret potestate, eo tempore crediderim omnes et magistratus et privatos, si pro concione dicere vellent, tribunos adire debuisse. Mos ille invaluit, quo, antea quam magistratus dicerent, privati homines a tribunis ad sermocinandum excitarentur cfr. Dio C. XXXIX, 35 ἐν γὰρ ταῖς συνόδοις ταῖς τοῦ δήμου, ἐν αἷς e. c. Schulze p. 247. Jam accedo ad intercessionem, quae hic in usu fuisse dicenda

est. (Nonne ille ex Sall. Jug. desumptus locus, quem jam in alium commemoravi finem, vel apertissime illud probat? c. 34: „Dein ubi Memmius trib. pl. Jugurtham respondere jussit, C. Baebius trib. pl. regem tacere jussit.“) Praeterea juvat mentionem injicere Ciceronis, qui quum in eo esset, ut Consulatu illo sese abdicaret, quo patris patriae cognomen meruit honorificentissimum (in L. Pison. 3: „Ego cum in concione, abiens magistratu, dicere a trib. pl. prohiberer.“), a Metello trib. pl., quominus populo redderet rationem Consulatus, prohibitus est. Hinc etiam patet, ne Magistratibus quidem, invitis tribunis pl. licuisse concionari. At vero illa intercessio interdum irrita facta est, credo si populus aperte voluntatem aperuerit suam. Tribuni enim, populi causa instituti, ejus voluntatem debebant respicere (Liv. III, 71: „Tribuni fere semper reguntur a multitudine magis, quam regunt.“), nec probari potuit si interdum populo non cederent, sicuti obstinate tenuit ille Baebius (Sall. Jug. 34) intercessionem suam. Si igitur concedis tribunos propter plebem esse institutos, ideoque illius voluntatem respicere debuisse, non tanto opere erit abominandus Caj. Gracchus qui, cum collega Octavius omnino oblivisceretur populi se causa tribunum evasisse et in intercessione pertinaticiter perseveraret, illi magistratum derogarit. App. I, 12. Recte igitur fecerunt ii tribuni, qui, cum populus aperte quid vellet aperiret, illi obsecundarent intercessionemque relinquerent. Quod mihi factum esse videtur in eo, quod narrat Liv. XVI, 38. Cic. ad Att. IV, 1. Liv. III, 71 non recte exprobravit tribunis

pl., quod, ut dixit: „fere semper regerentur a multitudine magis quam regerent.“ Immo vero illud respondit supremo tribunatus fini, et hinc magis laudandi quam vituperandi esse videntur.

§. V.

De senatorio tribunorum pl. jure.

Reipublicae liberae temporibus Senatus constitui solitus est et ex magistratibus ipsis, et ex iis, qui jam magistratus gessissent. Recte vero! Nam quum plerumque ii deligerentur, vel certe eligi deberent ad gerendos magistratus, qui et ipsi praestarent ingenio morumque sanctitate atque integritate, poterat sane senatus appellari amplissimus et sanctissimus ordo, summum populi Rom. populorumque et gentium omnium ac regum consilium. Quocirca habuit Cic. quod hanc proponeret legem de legg. III, 12: „Is ordo vitio careto, ceteris specimen esto.“ In eo consentiens est omnium vox, Senatum Rom., certe per maximam liberae reipublicae partem, summa fuisse admiratione dignum, scilicet qui nunquam, nec in summo quidem rerum discrimine, animo ceciderit, nunquam titubaverit. Thessali illius Cineae, qui Pyrrhi fuit amicus, praeclara haec: „Senatum Rom. ex regibus videri constare.“ Liv. IX, 17. Plut. Pyrrh. 19. Senatus autem, ut jam dixi,

1) constitutus erat ex magistratibus ipsis. Fuit enim in more positum, ut, qui magistratus gererent, eo ipso, quo illis fungerentur, tempore Senatores essent i. e. Senatum frequentarent, sententiae dicendae jus haberent. Idcirco Cic. in legg. III, 3

dixit: omnes magistratus — ex queis senatus esto. Nec hoc immerito! Quos enim magis par erat deliberanti de reipublicae commodis interesse senatui, quam qui ipsi reipublicae partem aliquam administrarent?

2) Dixi praeterea Senatum constitisse ex iis, qui jam magistratus gessissent. Quod jam re ipsa, multisque scriptorum probatur atque indicatur testimoniis. Hinc Liv. XXII, 49: „qui eos magistratus gessissent, unde in Senatum legi deberent" et Gell. N. A. III, 18: „Sed quia honoribus populi usi quidam erant, in Senatum veniebant et sententiae jus habebant." Dio C. XXXVII, 46: „τοὺς ἐν ταῖς ἀρχαῖς γενομένους ἐς τὸ βουλευτικὸν καὶ ὑπὲρ τὸν ἀριθμὸν ἐσέγραψαν. Quid autem multa in re apertissima? Illud quoque loci, quos protuli, magis etiam confirmant, vere Magistratus ipsos in senatum veniendi in eoque sententiam dicendi habuisse jus. Nam qui, quum magistratu abdicassent, hoc gauderent jure, qui tandem illi eo carere potuissent in magistratu ipso? Verum ne existimemus unam eandemque prorsus fuisse conditionem in Senatu eorum, qui fungerentur magistratibus, et qui jam illis functi essent! Fuit inter utrosque discrimen tale, quale intercedit inter Senatores, qui vere dicuntur, et inter pedarios. Hi, uti censet Varro ap. Gell. N. A. III, 18, quia in postremis scripti erant, non rogabantur sententias: sed quas principes dixerant, in eas descendebant." Quod indicat illa solemnis formula, qua alloquerentur Consules senatum: „Senatores quibusque in senatu sententiam dicere licet." Sed ipsi hi Senatores pedarii

aliquando veri solidique exorti sunt, nempe tum, cum a Censoribus in Senatum legerentur. Ecce novum Romanorum in republica constituenda exemplum prudentiae! Poterant magistratus creari minus quidem idonei ad rempublicam administrandam, vel quod illius, quae requirebatur, expertes essent ingenii praestantiae, vel quod mores non probarentur. Utrique detrimentum afferre poterant reipublicae: idcirco cautum, ut, quum magistratus munere sese abdicassent, in senatum quidem venirent, tamen tum demum fierent Senatores, cum a Censoribus crearentur. Qui in hac re satis fuere saepenumero acerbi et morosi, ut non paucos, qui magistratu functi fuissent, a Curia amplius frequentanda prohiberent. Ita testatur Gell. III, 18 his verbis: „Qui nondum a censoribus in senatum lecti erant, senatores non erant.“ Valer. Max. II, 2, §. 1: „ignarus, nondum a censoribus in ordinem senatorium allectum: quo uno modo etiam his, qui jam honores gesserant, aditus in Curiam dabatur.“ Verum exstiterunt, qui dubitarent, tribunis pl., quum sese abdicassent munere, amplius in senatum venire licuisse. Sed qua tandem de causa? De magistratibus in universum testantur, quos jam attuli, loci. Num tribuni magistratus non fuere? Populi non fuisse, sed plebei aperte indicat Appius ap. Liv. II, 56. Recte quidem, modo respexeris tribunatus primordia. Quis vero dubitaverit fuisse populi tribunos magistratus, cum illa primum esset constituta lex: „ut plebiscita omnes Quirites tenerent (Liv. III, 55; VIII, 12. Dion. H. XI, 45. Gell. XV, 27). In omnem rempublicam exercebant summam,

et paene dixerim nimiam quandam vim, summa exornati fuere et potestate et dignitate: quis illos plebis solummodo fuisse magistratus amplius contenderit? Cum autem illud in more positum esset, ut, quod veterum scriptorum exempla apertissime testantur, a Censoribus in senatum legi solerent, quae tandem fuit causa, cur ante a Curia adeunda non arcerentur? Nonne illud factum fuisset, ut rerum usum atque experientiam, quam dum munere fungebantur licuit comparare, rursus amitterent, quum adsiduo curiae aditu in dies magis potuissent in rebus gerendis exerceri atque excoli? Ceterum illud certum est, tribunis pleb. plerumque concessum fuisse, ut in senatum adlegerentur. Quod idcirco suo sibi jure illos vindicasse, patet ex Liv. l. XLV, 15: Cn. Tremellius tribunus, quia lectus non erat in senatum, intercessit. Elucet praeterea ex illa historia, quam Plin. H. N. VII, 44 et Cic. pro domo affert, qua, quod C. Atinius a Q. Caecilio Metello Macedonico Censore praeteritus fuerit in senatu legendo, inde tantum irae concepisse dicitur, odioque tali idcirco in illum flagrasse, ut e saxo Tarpejo illum praecipitari juberet. Huc accedit quod Quaestores mature satis creati plebeji (Liv. IV, 43; VI, 37) iique ipsi a Censoribus adlegi in senatum fuerint soliti. Quod indicat ille, quem jam supra attuli, ex Valer. Max. II, 2, §. 1 locus. Quod igitur concessum fuit Quaestoribus plebejis, num illud denegatum fuisse dicamus tribunis plebis, quorum potestas adaequavit paene eam, quae fuit Consulum? Quum autem jam mature in senatum legerentur tribuni, equidem non crediderim plebiscitum

Atinium pertinere ad eum Atinium, qui fuit trib. pl. a. u. c. DCXXIII. Plebiscitum Gell. commemorat XIV, 8 his verbis: „Et tribunis pl. senatus habendi jus erat, quamquam senatores non essent ante Atinium plebiscitum.“ Nisi forte illo tempore primum lex constituta est de eo, quod jam multo ante pro lege observatum fuerat. Itaque ne dubitemus trib. pl. mature exstitisse Senatores, (Hüllm. p. 213) quum ab initio nonnisi ante valvas Curiae positis subselliis sederent. Porro id nobis persuadeamus, tribunos, quum abdicassent sese munere, tamen a Censoribus in Senatum legi solitos fuisse. Verum fuere alia quaedam tribunis plebis senatoria jura, quae, quamquam tempore fortasse seriora magis, tamen etiam demonstrant magnam tribunorum potestatem et in rempublicam vim constituendam atque administrandam.

Quo tempore primum tribuni pl. Senatus concilio coeperint interesse, de eo certi aliquid afferri non potest. Liv. III, 9 ita narrat, ut tribuni tum temporis deliberanti senatui interfuisse videantur. Quod fuit a. u. 292. Jam antea tribunos in senatu adfuisse certe ex Liv. historia non apparet, sive quod occasio defuerit de hac re exponendi, sive alia quadam ex causa. Dionys. saepius hujus rei injicit mentionem et ita, ut sane videantur Consules primum tribunos in senatum vocasse (l. XII, tom. I, p. 437 Sylb. Francof. 1586), tribuni deinde persuasisse patribus, ut sibi permitterent senatum frequentare (Dionys. VII, p. 454). Ego valde pronus sum in eam sententiam, ut putem ipsos primum et Consules et Senatores voluisse ut consul-

tationibus interessent tribuni pl., ne deinde tempore admodum importuno impedirent, quae populo perniciosa esse viderentur. Ulterius autem progressi sunt tribuni, arrogarunt sibi jus

1) Senatum convocandi.

Occasionis ejus, qua primum tale aliquid commiserint tribuni, mentionem injicit quidem Liv. III, 31: tamen id, quod Dionys. accurate exposuit, silentio praetermisit. Ille enim narrat Icilium tribunum pl. primum impetravisse a Senatu, ut collis Aventinus, tum temporis adhuc nemorosus, plebi, ut aedificiis instrueret, concederetur. Quod institutum, ait Dionys., tribunus ejus anni persequens, Consules et Senatum adiit, rogans ut senatus de lege ista consultaret et ad populum referret — misso apparitore jussit Css. ad collegium sequi et senatum convocare. Ipsi deinde Senatum convocarunt: nam sane ad hoc jus sibi comparandum viam Icilius muniverat. Quae diversa nunc facta sit tribunorum ratio atq. conditio, in propatulo est, quum, ut Gell. N. A. XV, 27 testis est: „Tribuni neque advocent patricios, neque ad eos referre de ulla re possint.“ Postea tribunos senatum habuisse, licet ex multis videre testimoniis; cfr. Gell. XIV, 8: „Namque et Tribunis pl. senatus habendi jus erat.“ Cic. ad div. X, 28: „quum senatum tribuni pl. convocavissent.“

2) Ad eum referendi.

Testis est Gell. XIV, 7, qui affert Varronis sententiam, qua referendi jus his fuisse perhibetur magistratibus: „Dictatoribus, Css., praetoribus, tribunis pl., interregibus, praefecto urbis.“ cfr.

locum classicum de legg. III, 4. Cic., quem vocat Varro dictatorem, dicit antiquo more Magistrum populi; quem Varro interregem, Cic. eum, quem patres produnt Consulum rogandorum ergo. Cic. non affert praefectum urbis, tamen de eo non est quod dubitemus. Probat Liv. III, 9: „Senatus *a praefecto urbis* Q. Fabio vocatur.“ Tribunis plebis porro fuit jus relationi Consulis addere, quod e re videretur. Paul. Manut. de Senatu V, p. 859. Relationibus suis tribuni plebis praefari solebant illa satis solemni formula: Quod bonum, faustum, felix, fortunatumque siet. Quibus verbis addebant haec: „Referimus ad vos, patres conscripti“ cfr. Brisson. de Formul. II, p. 165.

3) Discessionem faciebant.

Fuit in universum hoc jus iis, qui senatum convocarent, nec quod illi diutius immorer apparet causa.

4) Dimittebant senatum.

Cfr. App. II, 29: οὐ πείθων δὲ, διέλυε τὴν βουλὴν ἐπὶ ἀτελέσι πᾶσι. δύναται δὲ ταῦθ᾽ ὁ δήμαρχος.“

De tribunorum autem juribus satis videor accurate exposuisse. At vero quoniam vix inde colligis, quo tandem jure Sulla Dictator animum appulerit ad illam magnam sane tribunatus potestatem atque dignitatem infringendam aut prorsus tollendam: faciendum esse videtur, ut de eo disseram, quemadmodum tribuni pl. proximo superiori ante Sullam tempore sese in rempublicam gesserint. Haec igitur disputatio esto intermedia inter eam tribunatus formam, quae temporis decursu exstitit, et eam illius potestatis conditionem, quam Sulla Dictator consti-

tuit. Agamus idcirco nunc quam brevissime poterimus:

De tribunatus qualem tempore ante Dictatorem Sullam proxime superiori exhibuerit sui formam.

Quo tempore Romani praestarent praeclaris illis virtutibus, morum simplicitate atque probitate, patriaeque summo amore, a libidinibus pravis abstinentia: eo tempore tribuni plebis, et ipsi illis virtutibus conspicui, boni exstitere adeoque maxime salutares cives. Temporum vero ratione commutata, divitiae Romam confluxerunt, veteres illae praeclarae virtutes evanuere. Penes optimates ingentes fuerunt divitiae; civium contra immensa multitudo ita premebatur penuria, ut careret victu quotidiano. Hi ad quaeque nova molienda eaque perniciosissima fuere animis propensi, tribunique plebis saepenumero singulis viris, qui flagrarent honorum imperiique studio, sese accinxerunt, turpiter illis sunt adsentiti, plebem ad vim atque arma contra cives adhibenda instigaverunt. Nobiles fratres Tiberius et Cajus Gracchus perspexerunt perversam rerum conditionem, adeoque animo praesagiebant Romae perniciem praecipitemque interitum, nisi respublica melius constitueretur. Itaque ipsi populi Rom. commoditatibus rationibusque consulere studuerunt: illis civibus, qui summa premebantur et egestate et penuria, agros largiti, bonos hinc futuros illos esse cives rati sunt. Optimates animo obcaecato illorum conditionem aeque atque antea fuit, miserandam remanere maluerunt, videlicet ne ipsorum copiae

atque facultates aliqua ex parte amputarentur atque circumciderentur. Tribuni itaque plebis, et ipsi abrepti corruptis illis moribus qui grassabantur, potestate sua, qua majores usi fuerant ad reipublicae commoda tuenda, turpiter abutebantur; leges quotidie migrabant, iisque sese accingebant, qui, nefario imperii studio flagrantes, reipublicae formam evertere conarentur. Num igitur Sulla male fecit, qui ad maximam certe partem tolleret tribunorum, quae abusui nimis videretur esse obnoxia, potestatem; ne cum ipsi novas res molirentur, tum maxime evaderent aliorum ministri atque satellites ad quaeque prava perpetranda? Recte Sulla rerum prospexit seriem atque eventum: Caesari postea et Octaviano subministrabant trib. pl. omnium rerum arbitrium, civitatisque ex ipsorum maxime voluntate regendae potestatem. Primus autem fuit Marius, qui tribunis pl. tam nefarie abuteretur. Socium sibi comparavit L. Appulejum Saturninum trib. pl. ad ea, quae vellet, omnia efficienda. cfr. Cic. pro C. Rabir. c. VII, VIII, IX. At vero accuratius aliquanto hoc pertractemus, ut inde, quid tribuni plebis esse possint, perspiciatur, ut praeterea Sullam bene patriae prospexisse videri intelligamus, qui, ne tanta afferre possent in futurum tempus reipublicae detrimenta, tribunos ad inferiorem adduceret conditionem. Accinxit igitur sibi Saturninum trib. pl. Marius

1) quum quartum ambiret Consulatum, ejusque ope factum est, ut votorum fieret compos cfr. Plut. Mar. XIV *Μετιόντων δὲ πολλῶν καὶ ἀγαθῶν τὴν ὑπατείαν, Λούκιος Σατορνῖνος, ὁ μάλιστα τῶν*

δημάρχων ἄγων τὸ πλῆθος, ὑπὸ τοῦ Μαρίου τεθεραπευμένος, ἐδημηγόρει, κελεύων ἐκεῖνον ὕπατον αἱρεῖσθαι. cfr. Liv. Ep. l. LXVII: „Quartum consulatum dissimulanter captans consecutus est.“

2) Quum Metellum Numidicum, cui maxime fuit infensus, in exsilium vellet mittere: nam ille videbatur pravis suis inceptis in perpetuum offecturus propter constantiam, gravitatem, morum integritatem. Res quomodo gesta fuerit, invenies in App. de b. c. l. I, c. 30. Oros. hist. V, 17. Subsequente anno Marius septimum Consul cum Glaucia praetore et Saturnino trib. pl. conspiravit Metellum Numidicum in exsilium quacunque vi agere. Plut. Mar. 28, 29.

3) Cum prohibere vellet quominus Metellus in patriam restitueretur: Publ. Furium trib. pl. in suas traxit partes, qui rem redderet irritam. cfr. Plut. Mar. Δόγματος δ᾽ εἰσφερομένου Μέτελλον ἀπὸ τῆς φυγῆς ἀνακαλεῖσθαι, πολλὰ καὶ διὰ λόγων καὶ δι᾽ ἔργων μάτην ἐναντιωθείς. cfr. Oros. V, 17. Cato et Pompejus rogationem de reditu Metelli Numidici promulgarunt, quae ne perferretur, Marii Consulis et Furii trib. pl. factionib. intercessum est.

Nihil fuit tam sanctum, legibus nihil ita sancitum, quin hujuscemodi homines scelestissimo modo violarent atque contaminarent. Omnes migrarunt leges, majorum instituta sustulerunt. In memoriam revocemus illam de trib. pl. legem sacratam. cfr. Fest. s. v. sacer mons, et supra. cfr. Dion. Hal. VI, 89. Hoc primum teneamus. Praeterea in more majorum fuit positum, ut, si quid tribuni pl. perferre vellent, omnes consentirent. Jam enim

unius tribuni intercessione res sublata est. Quod aperte dicit Liv. II, 44. Porro legibus fuit cautum, ne quis civem Rom. virgis caederet, ne indicta causa de eo supplicium sumeret. Audiamus Cic. pro C. Rabir. c. 4: „Porcia lex virgas ab omnium civium Rom. corpore amovit. — Porcia lex libertatem civium lictori eripuit. C. Gracchus legem tulit, ne de capite civium Rom. injussu vestro judicaretur.“

Quid autem? Omnes has leges Saturninus omnino non respexit; primum tribuno pl. trucidando facinus commisit maxime nefarium. Quum enim nihil magis in votis haberet, quam ut secundum crearetur tribunus pl., sese autem ipsum in Comitiis non creatum videret, tanto furore in A. Annium, qui decimus exstiterat trib. pl., abreptus est, ut in illum palam faceret impetum, seseque innocentissimi civis caede pollueret, Val. Max. IX, 7, 3. Liv. Ep. l. 69. Flor. III, 16. Oros. V, 17.

Rogationem tulerat de agris in Africa plebi dividendis. Cum in suffragia ire vellent Quirites, intercessit collega Baebius; hunc statim Saturninus a Rostris lapidibus depelli curavit, cfr. Aurel. Vict. de v. i. 73.

Cum Consularia haberentur Comitia, Saturninus socium suum atque satellitem S. Glauciam Consulem creari voluit. Spe vero frustratus est. C. Memmius Cs. factus est. Itaque a suo more declinandum esse non statuit, in Memmium impetum fecit, eumque in conspectu populi trucidavit. Cic. in Cat. IV, 2.

Quid vero plura etiam colligam exempla? Credo elucere, hoc tempore, quo mores jam erant depra-

vatissimi, hominumque desidiosorum summa confluxerat Romam copia, nec tribunatum retinuisse veterem integritatem. Nunc tribunitia potestas ea facta est, unde, ut Phil. Cs. in orat. in fragg. Sall. dixit, omnes accenderentur discordiae. At vero quid ex illis omnibus, quae jam protuli, ad Sullam? Recte illum fecisse videri, qui quietam rerum conditionem perturbandi, summa imis miscendi adimeret tribunis plebis et occasionem et opportunitatem. Recte igitur fecisse Sullam, omnes crediderim mecum consentire debere: sin secus, morosi illi atque difficiles homines excusationi certe, desumtae illi quidem ex imbecillitate humanae naturae et pravitate, locum concedant. Nonne enim illud historia probat, nec Sullam solummodo ipsum, sed etiam propinquos amicosque vehementer a tribunis plebis seditiosis et lacessitos et vexatos fuisse?

De tribunatu haec sufficiant ad Sullae acta intelligenda. Nunc quam instituit Sulla, conferemus cum ea, quae antea fuit rerum forma atque conditione; itaque deducendo facile poterimus illud intelligere, quid reliqui summa fiat. Scribendi tamen eam servemus rationem, ut inverso ordine singula perpendamus, ideoque primum de senatorio tribunorum ordine dicamus. Ad antiquam rerum, quam restituisse Sulla putandus est, conditionem ita deinceps perveniemus. Ita credo fiet, ut uno veluti obtutu novum Sullae tribunatum possimus perlustrare.

CAPUT II.

De ea tribunatus conditione, cujus auctor fuit Sulla.

§. 1.

Quid innovasse videatur in senatoriis tribunorum plebis juribus. cfr. §. V.

Senatoria etiam tribunorum jura magna fuisse atque praeclara, ex §. V. perspicuum esse puto. Quid autem statuamus de legislatore Sulla? Relicta illa fuisse, cuinam probabile esse poterit? Quod infra, quoad ejus fieri poterit, probabo, illud liceat jam hic pro vero affirmare: „Omnia sustulit Sulla, nil paene reliquit.“ Quo mihi minus ulla hic restet dubitatio, eo me magis oportuit mirari quid illud esset, quod Appianus narrasse perhiberetur: nimirum lege Sullam sanxisse, ne cui tribunatum petere liceret, nisi jam antea fuisset Senator. Appiani autem haec sunt verba: I, 100: „*καὶ οὐκ ἔχω σαφῶς εἰπεῖν, εἰ Σύλλας αὐτὴν, καθὰ νῦν ἐστιν, εἰς τὴν βουλὴν ἀπὸ τοῦ δήμου μετήνεγκεν.*“ Videmus Appianum non contendere, ad Sullam esse referendum hunc, qui suo tempore viguerit, morem; nonnisi conjecturae ille locum concessit. Consensit cum Appiano Lipsius in Electis II, 13, eique talem tribuerunt viri docti et dignitatem et auctoritatem, tali eum cum reverentia sunt prosecuti, ut nec superioribus, quae praeterfluxerunt a Lipsio inde saeculis, nec hoc nostro erudito aevo dubitaret quisquam de illius conjecturae veritate. Pro vero itaque primum habuit Appiani sententiam doctissimus omnium vir Pighius. Post illum omnes dein-

ceps Viri docti — quos nominare longum est — rem habuere certam exploratamque. Ad Lipsium revertor, qui hunc Appiani locum habet eum, qui duobus Suetonii locis lumen adspergat, quorum alter ad rempublicam, alter ad illud refertur tempus, quo jam Octavianus exstiterat imperator. Loci autem hi sunt: in Aug. X: „Et quo constantius cetera exsequeretur, in locum Trib. pl. demortui condidatum se ostendit: quamquam patricius necdum Senator." Alter in Aug. c. XL: „Comitiis Tribunitiis, si deessent candidati Senatores, ex equitibus Rom. creavit." Ego vero Lipsium male rem suam putaverim sustentasse, eamque infringere conabor. In eo enim

1) primum erravit, quod confunderet diversa illa tempora, quorum duo illi loci faciunt mentionem. Alter enim, ut jam dixi, pertinet ad liberam rempublicam, quamvis jam ad finem interitumque divergentem, alter ad monarchiam, quo omnia fere imperatoris arbitrio nutuique permissa fuisse, miror quod illum fugerit.

2) Deinde illum praeteriit, Pompejum omnia tribunis pl. jura per Sullam omissa restituisse (Caes. de b. c. 1, 7). Quod si hujus rei meminisset, intelligere potuisset, legem, ad quam alludit Sueton. in priori illo loco, non deberi posse Sullae, cujus ad unum omnia acta ad tribunos pertinentia jam dudum fuerant rescissa. Nisi forte post Pompejum illud rursus nova constitutum est lege, de qua tamen nihil innotuit.

3) Tum vero non ex omni parte consentit illud Suetonii: „quamquam patricius, necdum senator"

cum illo Appiani, quod tribunatum a plebe transtulerit ad Senatum. Nam plebejum senatorem unice requiri ad tribunatum capessendum App. non indicat.

4) Denique in eo quoque incredibilem commisit errorem, quod plebiscitum illud Atinium, de quo ante verba feci, in suas traducere conatur partes. Quamquam cunctanter et sibi diffidens ipse addit: „Si tamen transferre verba ea fas ad meam hanc mentem.“ Commemorat Gell. illud plebiscitum his verbis: „Tribunis pl. Senatus habendi jus erat, quamquam Senatores non essent ante Atinium plebiscitum.“ Quo igitur cautum fuit, ut magistratus tempore tribuni vere essent senatores, ideoque sententiam dicendi in senatu haberent jus atque potestatem.

Nec in re ipsa cum Lipsio possum consentire: est enim res, ut mihi quidem licet perspicere, non admodum vero similis. In media constituenda republica, qualis per Sullam facta est, dictatorem duplex secutum fuisse apparet consilium, ad quod omnia, quaecunque innovavit, facillime possumus referre. Plebis i. e. tribunorum potestatem immodicam, qualis suo aevo fuit, infringere; senatus imminutam augere voluit. Hinc tribunitiae potestatis diminutio summa, qua tantum non prorsus abolita est. Hinc illa lex gravissima, cujus idem est Appianus auctor, qua cautum, ne quis, *qui tribunus fuisset, alium ullum capere posset magistratum.* Prohibere ita voluit, quominus, qui altioris esset spiritus et majorum rerum cupidus, hunc tribunatum peteret, cfr. App. 1, 100: διὸ καὶ πάντες

οἱ δόξης ἢ γένους ἀντιποιούμενοι τὴν ἀρχὴν ἐς τὸ μέλλον ἐξετρέποντο. Qui itaque Sulla sibi constitisset, si tribunatum ad infirmam detrudere voluisset conditionem, Senatus contra potestatem vehementer adaugere: nihilo minus tamen senatores ad tribunatus, qui omnino despectus jacebat, petitionem deprimere conatus esset? Nisi forte ita rem explicare velimus: „Tantum aberat, ut, quamquam imminuebat Sulla tribunitiam potestatem sibi mirum quantum invisam, tamen transferret eam ad honestiorem atque lautiorem ordinem sibi amicissimum, cui gloriae atque splendoris sane nonnihil detracturus fuisset, ut speraret neminem Senatorem inventum iri, qui plebis ipsius despeatissimae magistratum contemptum inire vellet.“ Vell. Pat. II, 30 dicit de tribunitia potestate, qualis enata erat per Sullam: „Imaginem sine re reliquit,“ reliquit vero propterea, ne illam prorsus tollendo, in summam populi Rom. incurreret invidiam potentissimo peraeque atque infirmissimo extimescendam. Quid autem? Quid est, quod dictatorem tam reddiderit anxium, tam sollicitum, ut invidiam civium sibi pertimescendam esse crediderit? Centena millia hominum eorumque una civitate secum conjunctorum trucidavit, sibi imperium firmissimum, utpote quod niteretur exercitibus amore paene in illum flagrantibus, condidit: praeterea fortunae fautricis praesidio inviolabilem sese esse confisus est — hunc dicamus propter metum et sollicitudinem inclinare potuisse in illa diverticula, ut quae vellet posset efficere! Ipso suo decessu, quo dictatura abdicavit et privatum hominem sese professus est, satis abunde probavit, metu profecto eum percelli

perturbarique animo non posse, qui in mediis proeliis maxime atrocibus ancipitibusque tam saepe mortis pericula subiisset! — Praeterea ne obliviscamur, Sullam maxime curasse videri, ut ad antiquissimam rerum conditionem adduceret rempublicam. Quanto opere autem repugnet illud ei mori, qui antea viguerit, facile is perspiciet, qui meminerit adeo legibus fuisse cautum, ut ne aliquis ex patriciis, qui illis temporibus soli constituere Senatum, tribunus exsisteret plebis. Liv. II, 33: „Neve cui patrum capere eum magistratum liceret.“ Cic. de harusp. resp. 21: „Arreptus est unus ex patriciis, cui tribunus plebis fieri non liceret.“ Verum aliud quippiam in mentem venit, quo possit fortasse Appiani conjectura sustineri. Quid enim, si illo ex Octav. Suet. c. X. desumto loco subnixi, in Appianum eum inferamus sensum, tanquam cautum fuerit, ut nonnisi Senatores *plebeji* tribuni plebis creentur? Habet hoc veritatis quandam speciem, ita, ut adeo consentaneum videatur reliquis Sullae actis. Tunc enim in ipso sane senatu plebejos homines persequeretur odio, qui juberet illos despectissimum omnium magistratum, tribunatum dico, capessere. At vero illo tempore patricii qui dicuntur jam dudum perierant; illorum locum occupaverat nobilitas commixta ex plebejae non minus quam patriciae stirpis hominibus. Cui sese ordini, dico nobilitati, reddidisset odiosum, si ejus partem aliquam ad tribunatus detrusisset petitionem. Quod tamen longe se habuit aliter. Si ita Sulla constituisset, omnino nulla appareret causa, cur nobilitas tribunos pl. gratia, spe, praemiis sibi conciliasset. Stetere enim jam illi

sua sponte a nobilitatis commodis atque partibus, pro quibus certo ipsi quoque propugnassent. Illud autem factum esse testatur Lic. Mac. §. 3, in fragg. Sall. his verbis: „Quamquam omnes alii creati pro jure vestro vim cunctam et imperia sua gratia, aut spe, aut praemiis in vos convertere, meliusq. habent mercede delinquere, quam gratis recte facere.“ Nec illud licet nobis existimare, Appianum indicare voluisse, ei demum tribunatum petere licere, qui jam antea functus fuisset magistratibus. Illi videlicet a superiori ad inferiorem descendissent conditionem. Quod profecto nemo nisi aut mente captus aut lege coactus fecisset, nam cito profecto via ad alios magistratus fuisset interclusa. Quomodo autem talis ferri potuisset lex, et ubinam de illa innotuit?

Quae quum ita sint, ego non dubito, quin cum Rubinone V. D. faciam, cujus de tribunitia potestate, qualis fuerit inde a Sullae dictatura usque ad primum consulatum Pompeji, Cassellis MDCCCXXV, nemo non laudandam existimabit commentationem. Pro vero affirmaverim, Sullam acquievisse in antiqua rerum conditione, quam in reliquis quoque actis illi obversatam fuisse in propatulo est, qua nisi plebejus nemo hunc capere posset magistratum. Suetonii autem locum (Aug. X.) praeeunte eodem Rubinone ita explico, ut putem de aetate intelligi debere senatoria. App. b. c. III, 31: Ὁ δῆμος οἰόμενος αὐτὸν ἐπιθυμούμενον τῆς ἀρχῆς διὰ τὸ νεώτερον τῆς ἡλικίας οὐ παραγγέλλειν. Ceterum audiamus Ciceronem de Quinctio, qui illo ipso tempore, quo maxime depressa jacuit tribunitia potestas, fungeretur

tribunatu, verba haec facientem pro Cluent. §. 41 (cfr. 21, §. 61): „Si quis autem hoc uno nititur, quod sit ignobilis — ut Quinctius homo nobilis — arrogantiam ejus deridendam arbitrarentur propter humilitatem hominis!“ —

Quamquam igitur Sulla longe abfuit, quin legi sanciret, ut nisi qui jam antea senatorum numero adscriptus esset, nemo tribunatum petere posset: nam parum profecto sibi constitisset, turpiter adeo legibus ipse suis repugnasset: tamen Senatoribus, si qui vellent ordinis sui valedicere ornamentis, aliorumque magistratuum spem gerendorum abjicere, plebis autem quadam commiseratione vel alia causa commoti, ad ipsius depressam abjectamque descendere conditionem: illis Sulla facile obtemperasse putandus est. Ita factum, ut in aliquos incideremus tribunos, qui antea Senatoribus fuissent adscripti, cfr. Cic. in Verr. Act. II, 1, 60, §. 156: „cum apud ipsum Q. Opimius, Senator populi Rom., bona, fortunas amiserit,“ cfr. Act. I, c. 10. At vero nolo obtundere: Appianum halucinatum esse videri, omnes Rubinoni concessuros esse crediderim. Cujus si forte contigit argumentis unum alterumve addere, bene mihi consultum esse putabo. Quid vero dicam de senatorio tribunorum jure et de iis, quae inde sequuntur, ornamentis? Neutrum reliquisse videtur Sulla. Itaque inde ab illo tempore nec senatum vocandi, nec ad eum referendi, nec decessionem faciendi habuere jus. Ad antiquissimam conditionem tribunatus est adductus, qua ei nihil fuit caussae cum patribus. Nec illud puto, tribunos pl. magistratus tempore Senatores fuisse. —

Quamquam haec sententia non ita animo inhaesitat, ut divelli a me nullo modo queat. De iis, quae sequuntur, certo mihi persuasus sum — nimirum nec cum illo munere abdicavissent sese, tum senatum amplius frequentasse, nec postremo a Censoribus in senatum legi solitos fuisse. *Τὴν δὲ δημάρχων ἀρχὴν ἴσα καὶ ἀνεῖλεν*, uti testatur Appianus de b. c. I, 100. Sed videntur tamen tribuni pl. necessarii fuisse ad constituendum atque supplendum senatum, qui ex magistratibus constabat. Cic. de legg. III, 3. Ita sane fuit: nisi igitur magistratuum numerus augeretur, deesse debebant, qui senatores allegi possent. Videor mihi causam invenisse, cur potissimum Sulla ampliorem redderet praetorum quaestorumque numerum, indeque vice versa colligere posse existimaverim, tribunos non amplius in Senatum a Censoribus legi solitos fuisse. Quum tribuni pl. non amplius suppeterent ad senatum constituendum, quaestorum praetorumque numerum ideo auxit, ut jactura, quam ita faceret senatus, posset compensari. Erat Sulla vir a populi causa remotissimus (Cic. pro Cluent. c. 55.), ideoque eos a republica voluit removere, qui suo aevo rempublicam maxime turbassent crudelissimosque et cruentissimos excitassent tumultus.

§. 2.

Ecquid reliquerit Sulla in concionum jure? cfr. supra §. IV.

Quam fuerint gravia concionum jura, quantam illa suppeditaverint vim in rempublicam administrandam, quae porro voluerint ipsi tribuni, nemini non in aperto esse debere puto. Hinc credo jam per se

apparere, Sullam illa magna et praeclara jura non potuisse integra relinquere. Verum nec deest disertum aliquod locupletissimi testimonium scriptoris. Dico Ciceronem, qui in orat. pro Cluent. c. 40 ita docet: „Qui (Quintius trib. pl.) quod rostra jam diu vacua locumque illum post adventum L. Sullae a tribunitia voce desertum oppresserat, multitudinemque jam desuefactam a concionibus ad veteris consuetudinis similitudinem revocaverat, idcirco cuidam hominum generi paullisper jucundior fuit." Sermo est, ut dixi, de Quintio trib. pl., qui quum causam diceret Oppianici, efficere non poterat, ut ille, quo qui nequitior esset non facile poterat inveniri, absolveretur judicio. Itaque turbulentis ejus concionibus, quas quasi per vim convocaverat, factum est, ut Junius, qui ei quaestioni praefuisset, condemnaretur. Non est hujus loci, accurate de eo disceptare, fueritne Quintius lege quadam Cottae fructus, ideoque utrum usurpaverit jus tribunis lege diserta concessum an minus. Nonnisi illud moneo contra Rubinonem pag. 35: inprimis videri esse inspiciendum illum Ciceronis locum, qui sane hanc meam confirmat atque sustentat sententiam, Quintium tumultu plebisq. auxilio fretum atque nitentem ea arrogasse, quae Sullae lege abolevissent. cfr. pro Cluent. c. 34, §. 93. c. 35. c. 37. Illud aperte testatur Cic., Sullam prohibuisse, quominus tribuni pl. in posterum e rostris dicerent concionesque haberent. Dicit enim rostra locum post adventum L. Sullae a tribunitia voce desertum, testatur multitudinem jam a concionibus fuisse desuefactam. Ceterum vix opus est, ut illud addam,

ibunos pl., simulatque amisissent concionum ha-
endarum jus, non potuisse amplius nec concionem
are nec concionem dimittere. Inde tamen non
olligendum est, tribunos exutos fuisse illo quoque
ure, quo, quemcunque vellent, eum soliti essent
a concionem producere. Supra docui, magis ad
najestatem populi pertinuisse videri illud jus, nec
deirco crediderim Sullam sustulisse. Testimonio
uidem haud sumus destituti. Dicit enim Cic. in
Brut. c. 60: „Is cum tribunus plebis Curionem
t Octavium consules produxisset — Nunquam, in-
uit e. e. e. c.“

§. 3.

De tribunorum jurisdictione. cfr. §. III.

Sequitur, ut de tribunorum jurisdictione dicen-
um sit, fueritne illa per Sullam imminuta, an in-
egra relicta. Ego vero statuerim, uti cetera jura,
a etiam hoc praeclarum jus valde Sullam ampu-
asse et circumcidisse. Quod nisi fuisset, vere vi-
eretur Senatorum, quos tamen omni modo tuitus
it, quorumque auctoritatem quam maxime auxit,
deretur inquam, illos tribunis pl. quasi subjecisse.
uod tamen probabile non est. Primum enim illud
s ab initio non fuit penes tribunos: aperte enim
statur Gell. N. A. XIII, 12, Tribunos juri di-
endo non esse antiquitus creatos. Illud tamen
ter omnes constat, ad antiquissimam temporum
onditionem tribunatus Sullam et revocasse et com-
osuisse formam. Deinde vero apud Ciceronem
guntur, quae illam mihi suggerant sententiam,
on prorsus illam jurisdicundi potestatem fuisse

relictam. Tribunitiam enim illam ipsam ob causam tam vehementer homines repetivisse potestatem dicit Cicero, quod judicia senatoria summa laboraverint invidia. Nimirum homines sibi persuaserant, si tribunitia potestas esset restituta, tunc redditum iri irrita Senatorum turpia judicia, cum, quibus injuria illata esset, ii appellarent tribunorum collegium. cfr. Cic. in Q. Caecil. div. III, §. 8: „Judiciorum desiderio tribunitia potestas efflagitata est.“ in Verr. I, 15, §. 43: „Neque enim ullam aliam ob causam populus Rom. tribunitiam potestatem tanto studio requisivit: quam cum poscebat, verbo illam poscere videbatur, re vera judicia poscebat.“ Quamquam igitur de eo non dubitaverim, illud quoque jus a Sulla magnopere esse amputatum, tamen relictum aliquid esse, multi ejusdem Ciceronis testantur loci. cfr. Verr. Act. II, 2 c. 41 (Cic. pro Cluent. c. 30): „Postremo me ipsum apud collegium hoc tribunorum pl. cum eorum — egisse causam Sthenii — tribunos pl. hoc statuisse, idque de omnium sententia pronunciatum esse.“ Frustra circumspicimus locos, qui possint indicare, qua tandem re illud jus fuerit circumcisum. Circumcisum esse, ex Ciceronis colligas verbis, et ipsa res per se satis superque demonstrat. Peropportune in Pighium incidimus, qui, quomodo jurisdictio tribunorum sit comminuta, videtur aperire. Sunt ejus verba haec: „neve provocantibus auxilium ferre possent, nisi juratis, quod *aequo alias jure uti non possent.*“ Quod unde hauserit Pighius, nescire se Ernestius profitetur in indice leg. praefixo clavi Ciceronianae. Inconside-

rate satis ille, ut mihi videtur, Pighii sententiam absurdam esse contendit. Nec Rubino consentit cum Pighio, qui, unde illud sumserit, reperisse sibi videtur. Nempe ex Ascon. Ped. in commentario ad or. in toga cand. ubi haec leguntur: „Et quum Lucullus id, quod Graeci postulabant, decrevisset, appellavit tribunos Antonius, juravitque se ideo recusare, quod aequo jure uti non posset.“ cfr. praeter id, quod Cic. in orat. in toga cand. dixit, Q. Cic. de petit. cons. c. 2 et Plut. Caes. c. 4, qui tamen non prorsus consentit nec cum illis scriptoribus, nec cum Suet. Caes. c. 4. Mihi, quamquam rem non prorsus negaverim, tamen idcirco non videbatur vero simile esse, quod, cum Pigh. in Ann. ad a. u. c. DCLXXVII accuratius illum Asconii locum tractaret, tamen ne verbo quidem addidit, sibi illum suppeditasse causam, cur de tali cogitaret Sullae lege. Deinde omnino illa dicendi ratio satis est pervulgata, ita ut non opus sit statuere Pighium ex Ascon. Ped. sumsisse. Ita enim Liv. VI, 37: „Non posse *aequo jure* agi, ubi imperium penes illos e. c.“ Cic. in Verr. II, 1, 46: „Utrum digniores existimasti eos — quam nos, qui *aequo jure* uteremur.“ cfr. pro Cluent. 34, §. 94; pro Quint.: „cum ei non *jus par* reperiri potuerit.“ Quum antea licuisset — nam, quid mihi videatur, brevi jam complectar — tribunis pl. auxilio esse iis, qui judiciali sententia sese laesos esse putarent: quo igitur factum est, ut judicium, quod latum fuit, prorsus tollerent irritumque redderent: illud jus per Sullam amiserunt. Judicio litigantes debebant acquiescere in judicum, quae semel lata

fuerat, sententia, nec poterant auxilium a tribunis petere. Contra, ante quam judicium ferretur, poterant tribuni et docendo et hortando v. c. efficere, ut ne quid praejudicati afferrent judices; itaque praeoccupatas sententias ex animis judicum evellebant, ne ita judicium, quod laturi essent, iniquum exoriretur. Ita v. c. factum est tribunitia potestate in illa infami Juniana causa (cfr. pro Cluent. c. 30, §. 83), ut ne sine Staleno in judicium iretur. Contra vero, cum judicium jam de Oppianico esset latum, judicum sententiam tribunorum collegium infringere irritumque reddere non poterat. Quod profecto, modo si licuisset, Quintius ille trib. pl. fecisset; nihil autem illi relictum fuit aliud, quam ut concionibus turbulenter et seditiose concitatis judicio illi invidiam infamiamque conflaret et in hanc flammam recentem C. Junium, qui illi quaestioni praefuerat, injiceret (cfr. c. 29, §. 79). cfr. Cic. pro Cluent. VII, §. 20.

Quae cum ita sint, sane poterimus illum Ascon. Ped. locum in nostras partes trahere: Antonius appellavit tribunos eam ob causam, ne de se judicium ferretur. Cum vero omnino nulla adesset causa nisi Antonii superbia, fastidium atque arrogantia, recte in summam incurrit invidiam, adeoque ex senatu ejectus est. Ita fortasse Pighio sententiae fulcra substravimus, quo rectius posset intelligi. Ceterum haud scio, an ita tutari liceat lectionem illam in Vellej. l. II, c. 30 de Sulla, quae ita refert: Imaginem in jure reliquerat. Quamquam enim haec scriptura invenitur in Edit. pr.; tamen Ruhnkenius eam commutavit in: „Imaginem sine

re reliquerat." Credo quod talem oppositionem saepe adhiberi animadverterat. Tamen sine summa verecundia haud licet huic repugnare viro!

§. 4.

Delectum inhibere, S. C. prohibere, Comitia impedire, num reliquisse putandus sit Sulla tribunorum libero arbitrio? cfr. supra §. II.

Num reliquit Sulla tribunis pl., quorum quanto opere imminuisset atque circumcidisset potestatem, jam intellectum puto, num inquam vero simile est, reliquisse Sullam iis S. C. prohibendorum, delectus inhibendi, comitiorum impediendorum jus? Non crediderim: nam modo perspectam haberet Sulla antiquorum temporum rationem, profecto non poterat hanc potestatem illis permittere. Nisi illa jura mature sibi potuissent comparare, nunquam, ut promiscua patrum cum plebe fierent connubia, acquisituros fuisse pro certo affirmaverim. Nunquam rogationem perferre contigisset, ut ex plebe aeque atque ex patriciis Consules creare liceret. Res per se aperta non indiget nec multis verbis, nec veterum etiam, si multa restarent, disertis testimoniis. Sufficiet de delectu, cujus impediendi occasionem saepissime invenerant antea tribuni, afferre: unde apparebit, vere a Sulla hoc sublatum esse jus. Licinius ille Macer, tribunus pl. acerrimus, cujus oratio ad plebem locum habet inter fragg. Sall. historiar., non potest plebi auxilium suum promittere, propterea quod, uti profitetur §. 2, solus est atque impotens, inani specie magistratus. Nec igitur delectum sese inhibiturum esse pollicetur, sed

hortatur plebem, ut ne ipsi nomina dent ad bella gerenda, ut a bellis prorsus abstineant. Verba haec sunt §. 8: „non arma neque secessionem, tantummodo ne amplius sanguinem vestrum praebeatis, censebo.“ Quid igitur? Quum dissuaderet populo bella subire, nonne ipse delectum inhibiturus fuisse putandus esset, si inhibendi jus ipse habuisset? Verum quid multa? Sulla, a populi causa remotissimus, nullo pacto illa jura poterat relinquere, quae et ipsa fuere maxima, quorumque auxilio facile amissa potuissent tribuni recuperare.

At vero jam nobis exoritur adversarius haud sane comtemnendus, qui quum prorsus aliter referat, animum meum, nescium quo se potissimum vertat, suspensum tenere potest atque sollicitum. Quem ego habeam adversarium et unde afferatur mihi auxilium praesidiumque, id exponam, si prius constiterit de vocabuli cujuspiam et vi et potestate. Illud igitur jus, quo primum S. C. possént reddere irrita tribuni, quo deinde inhibere delectum, quo quidquid vellent possent impedire, hoc varium jus atque multiplex communi continetur „*Intercessionis*“ vocabulo. Pauca jam sufficient exempla. cfr.

Gell. XIV, 7: „Intercedendi, ne S. C. fierent, jus fuisse iis solis, qui eadem potestate, qua ii, qui S. C. facere vellent, majoreve essent.“

Liv. II, 55: „Sub hac pessimi exempli victoria delectus edicitur: paventibusque tribunis, sine intercessione ulla consules rem peragunt.“

Gell. XIII, 12: „Tribunos antiquitus creatos esse intercessionibus faciendis, quibus praesentes essent.“

Sed jam satis. Caesarem dixi gravem illum meum adversarium, qui me duobus vexat locis, quorum alter alteri mutuo afferre videtur sive lucem sive obscuritatem. Nimirum l. I, c. 5 de bello c. haec habet:

Neque etiam extremi juris *intercessione* retinendi, quod L. Sulla reliquerat, facultas tribuitur.

Ejusdem porro libri I c. 7 ita refert:

„Sullam, nudata omnibus rebus tribunitia potestate, tamen intercessionem liberam reliquisse.“

Vix te expedias ex his verborum tricis atque laqueis, nec, qui possit dici omnibus rebus nudasse Sullam tribunitiam potestatem, quum liberam perhibeatur reliquisse intercessionem, intelligas! Quid? Ex Ciceronis scriptis desumptus quidam locus, qui prorsus refragatur Caesari, utrum ille magis etiam animum in diversas distrahere partes, aut potius solatium atque praesidium afferre putandus est? Cic. enim in Verr. I, 60 ita refert: „multa petita est a Q. Opimio — quod, cum tribunis pl. esset, intercessit contra legem Corneliam.“ Rubino V. D. explicandis illis locis non vult multum sibi facessere negotii, itaque Caesarem aut Sullanas res inter civilia arma non accurate cognovisse, aut eo ita dixisse consilio, ut inflammaret militum animos, sibi persuasit. Attamen levius ille mihi et nescio quo pacto negligentius videtur paullo rem absolvisse. Idcirco ego ingenium periclitabor; sed quoniam nec ego putaverim, facile rem posse expediri, eam ego ob causam admodum cunctanter ad explicationem accedo proferandam, nec ipse in illam juraverim. Quid enim? Intercessionem illam communi quodam

atque universali sensu solitam fuisse dici, exempla illa, quae supra attuli, probaverant: at vero quaenam illa fuit propria et arctioribus circumscripta finibus vocabuli sententia? Denotat proprie *Intercessio* jus, quod tribunorum quisque haberet in collegas, quibus omnibus unus poterat fatali illa voce: „Intercedo“ officere. Ita v. c. dicit Liv. VI, 35: „nullo remedio alio praeter expertam multis jam ante certaminibus *intercessionem* invento.“ Gell. VII, 19: „Quominus collega sua potestate utatur, non intercedemus.“ cfr. Liv. VI, 38. Argum. Ascon. or. pro C. Cornelio p. 464 Bip. ed. Hanc igitur esse propriam vocabuli Intercessio significationem non est quod dubitemus, quamquam scriptores fluctuasse nec sibi constitisse exinde etiam apparet, quod, ubi intercessio dici exspectares, saepe aliud est vocabulum. cfr. Gell. VII, 9. Liv. VI, 35. De vi autem atque potestate verbi haec sufficiant. Quid igitur? Num absone absurdeque facere videmur, si hanc fuisse arctioribus sane finibus circumscriptam Intercessionem putemus, de qua cogitaverit Caesar? Quae autem maxime res Caesaris obversetur animo, illud vix licebit eruere ex historia. At fortassis non nimis absumus longe a veritate ita statuentes: Consules, ut M. Claudius Marcellus (cfr. Suet. Caes. 28), ad Senatum retulisse, ut Caesari succederetur — et ne absentis ratio comitiis haberetur; Tribunorum autem plebis longe majorem partem cum senatu consensisse; reliquos tribunos Caesari amicos, quominus S. C. in illam sententiam fieret, intercessisse, eamque intercessionem senatum non respexisse. (De Curione Caesarem

valde adjuvante Appian. ita: „*οὐ πείθων δέ, διέλυε τὴν βουλὴν ἐπὶ ἀτελέσι πᾶσι.*") Aut statuamus tribunos pl. eandem rem coram populo egisse, Caesarisq. amicos frustra collegis obnisos fuisse. Comitia certe illam ob causam habita esse videntur: nam refert App. II, 31, Curionem statum reipublicae apud plebem deplorasse et Caes. de b. c. I, 3: „Ad jus comitiorum tribunos pl. C. Curio evocat." Sed ne multa! Nonnisi id volui, ut, quemadmodum intercessio illa locum habere posset, cum veritatis quadam specie indicarem. Caesar igitur duobus illis locis queritur de contumelia, qua tribuni pl. fuerint affecti, quippe quum intercessio inter tribunos ipsos neglecta jacuerit. Porro ne illud nos offendat, Caesarem huic intercessioni tam multum videri tribuere. Quamquam ab initio intercessionis jus magis respexit commoda rationesq. senatorum, nimirum qui possent fere semper unum alterumve conciliare sibi gratia tribunum: tamen in ea continebatur quoque etsi non tribunatus ipsius, tamen singulorum tribunorum satis grave jus. Hanc igitur intercessionem Sulla non sustulisse videtur.

§. 5.

Ad eum paene adduxisse videtur formam atque composuisse tribunatum, qua antiquissimis fuit temporibus. cfr. §. I.

O praeclaram illam omnique praedicatione sublimiorem, quae antea quidem fuit, tribunatus conditionem, quam nullum, vi atque potestate in rempublicam, magistratum e longinquo adsecutum fuisse, haud cunctanter equidem affirmandum esse putem! At vero fuit olim, nunc auctore Sulla praeteriit,

effluxit, evanuit. Quo mortuo eandem tribunitiam potestatem summo desiderio fuisse efflagitatam et a Pompejo Magno exspectatam, quis unquam mirabitur? Attamen multum profecto abest, quin substitisse hic Sullam atque acquievisse in iis tollendis, quae accurate jam descripsisse mihi videor, juribus, creduli arbitremur. Minime vero! Contra si nihil restaret, Sullam amputasse et graviter quidem circumcidisse crederemus tribunitiam potestatem: magnam autem etiamnunc fuisse relictam, non possemus non concedere. Longe vero aliter nobis statuendum erit. Quid igitur illud est, quod veluti cumulus accedat et illud potissimum efficiat, ut non sustulisse Sullam tribunorum potestatem dicamus? Jam aperiam, nec inconsulto hanc huic reservavi loco rem. Etenim quum item, quid unum reliquerit Sulla, sit indicandum: inde credo fiet, ut uno veluti obtutu omnem commutationem perlustremus.

Gravissimum igitur illud tribunorum jus, quod sustulisse Sullam nunc probabo, neminem fugiet, qui, quemadmodum tribuni potestate sua, sensim jam pedetentimque moribus civium depravatis, immoderata facta male fuerint abusi, in memoriam sibi revocaverit. (App. I, 59: praeterea multis aliis modis accisa tribunorum pl. potestate, quam *a tyrannica potentia* jam parum (?) abfuisse dicebant. ed. Schweigh.) Ut clarius etiam illud elucescat, et ut illud apertius fiat, jure quasi suo ad tollendum tribunatum Sullam appulisse animum, hic depromam ex historia, qui potissimum sese tribuni reddiderint Sullae perniciosos.

Legibus videlicet illum vexarunt. Marius in-

explebili suo honorum fame, qui, ut est apud Flor. III, 21, initium fuit et causa belli, Marius inquam invidebat Sullae imperium contra Mithridatem, sibique ipsi studuit comparare. En vide pravam hominis cupididatem, qua nullam corporis, senio prorsus confecti, rationem putarit habendam. Quod Plut. testatur in Mar. c. 34. Sulla c. 7: „*Μάριος ὑπὸ δοξομανίας καὶ φιλοτιμίας, ἀγηράτων παθῶν, ἀνὴρ τῷ τε σώματι βαρύς, καὶ ταῖς ἔναγχος ἀπειρηκὼς στρατείαις διὰ γῆρας*. Adjunxit igitur sibi Sulpicium tribunum pl., cujus qui possem satis apte depingere mores, incertus haererem, nisi peropportune Plut. nobis tradidisset dictum, quod ille soleret prae se ferre. Haec sunt Plut. verba: „*διὰ τἆλλα πάντα θαυμάζων καὶ ζηλῶν τὸν Σατορνῖνον, ἀτολμίαν ἐπεκάλει τοῖς πολιτεύμασιν αὐτοῦ καὶ μέλλησιν*. Hic igitur et vi et armis effecit, ut Sullae imperium contra Mithridatem aufferretur, Mario traderetur. cfr. Vell. Pat. II, 18. Flor. III, 21. Liv. Ep. l. LXXVII. Plut. Mar. 35. Sulla 8. Reversus in urbem cum exercitu, quum omnium rerum arbitrium penes unum esset Sullam, jam tum potuisset patriae dominus exsistere. cfr. App. I, 63. Quid igitur poterat aliud facere, quo magis commendaretur, quam ut legum ferendarum licentiam certis circumscriberet terminis? Nec reipublicae defuit: lege sanxit, ut ne in posterum rogatio ad *populum* (*δῆμος*) fieret, nisi antea in Senatu res fuisset deliberata App. I, 59, de quo accuratius infra docebo. Illud sufficiat monere, jam primis ita temporibus fuisse constitutum; hoc autem seriori tempore, quo et legum corruisset auctoritas, et omnino civitas

perverteretur, illam quoque legem fuisse antiquatam (cfr. Dion. Hal. IX, c. 49: ἐπειδὴ ὁ ὕπατος Ἄππιος οὐκ ἐᾷ νόμον ἀπροβούλευτον εἰς τὴν ἐκκλησίαν ἐκφέρειν. X, 4: „νόμους εἰςηγεῖςθαι ἀπροβουλεύτους“). Ita certe videbatur Sulla viam reddidisse impeditiorem, qua possent perniciosae leges ad populum ferri. Habuit autem haec lex gravem quandam vim — at vero qualem illi accessionem factam esse putemus altera lege, qua, ne in posterum fierent amplius tributa comitia, esset provisum? Magis verum magisque deinceps populari factioni infensus factus, nec Dictator, quae Consul sanxerat, sustulit. Testis est Livius, qui in Epit. L. LXXXIX ita memoriae prodidit:

„Tribunorum plebis potestatem minuit et omne jus legum ferendarum ademit.“

Per decennium igitur illud, quo viguere Sullana acta, leges a tribunis pl. latas esse nusquam reperimus. Postquam Pompejus tribunitiam potestatem rursus restituerat, statim leges a trib. pl. latae sunt; cfr. Liv. Ep. L. XCIX: „L. Roscius trib. pl. legem tulit e. c. l. C.: „C. Manilius trib. pl. legem tulit.“ De legum autem ferendarum jure per Sullam sublato nihil attinet alia multa facilioris intelligentiae causa hic congerere. Itaque haec hactenus. Aliud praeterea juvat commemorare jus tribunis ademptum, quamquam non eadem insignitum illud fuerit dignitate aut gravitate, quam legum ferendarum liberum arbitrium. Hinc, quid reliquerit Sulla tribunis, continuo explicabo. Antea enim permissum erat tribunis pl., ut, quum magistratu suo abdicassent, alia quoque munera publica possent

capessere. Omnino enim antea id in more erat positum, ut, qui vellent altiorem quendam in republica obtinere locum, primum tribuni pl. fieri conarentur, ut sibi populum conciliarent, aditumq. sibi pararent ad alios magistratus rite capiendos. Hoc non eo commemoraverim, quod putem magnam in eo contentam fuisse tribunorum potestatem. Inest in hoc jure nonnisi dignitas quaedam: at vero quin verba faciam de illo jure, idcirco non sustineo, quod exinde apparet, non solum Sullam jura potestatemque, sed etiam tribunatus dignitatem sustulisse. Lege enim cautum est, ut ne, qui hoc Sullae inviso functi essent magistratu, alios deinceps capere possent magistratus. Idcirco Cotta, qui illud restituit, ut aliis quoque magistratibus liceret fungi, a Cicerone dicitur in fragg. pro Cornel. paullum tribunis pl. non potestatis sed dignitatis addidisse. Verba haec sunt: „Inimicissimi C. Cottae fuerunt, quod is Cs. paullum tribunis plebis non potestatis, sed dignitatis addidit.“ Ciceronem longe aliter dicturum fuisse credo, si, uti Rubino V. D. opinatur, a rostris quoque concionandi potestatem Cotta illis restituisset. Verum haec nonnisi obiter atque praetereundo commemoraverim. cfr. Ascon. Ped. ad orat. pro Corn. ita: „Ut tribuni pl. aliorum quoque magistratuum capessendorum potestatem haberent.“ Ceterum jam inde apparet, Sullam aliorum magistratuum capessendorum jus reliquisse illis non videri, quod nec a principio illo jure fuerint functi tribuni plebis.

Itaque jam paene suscepto negotio mihi videor respondisse. Probare volui, Sullam ad eam tribu-

natum adducere voluisse conditionem, qua fuisset in ipsis quasi suis incunabilis. Ad ea, quae in singulis paragraphis proposueram tribunorum plebis jura, subinde respondi, nunc ad primam delatus sum paragraphum, qua antiquissimam tribunatus formam atque imaginem primis solummodo, quae tamen videbantur sufficere, depingerem lineis. Et in hac sane acquievit Sulla, nihil relinquens tribunis nisi auxilii lationem, quae ad partem fortasse viguit in judiciis, inprimis autem eo valuit, ut injuriae, quae coram fierent, a singulis civibus arcerentur. Hoc est, quod Cic. de legg. III, 9 testatur, dicens:

> „In ista quidem re vehementer Sullam probo, qui tribunis pl. sua lege injuriae faciendae potestatem ademerit, *auxilii ferendi reliquerit*."

Itaque, modo exceperis coram populo accusandi quos vellent arbitrium, quod tamen ipsum obscurum est atque incertum, omnia fere ea, quae de antiquissimorum temporum ratione in Gellii scriptis legimus, ad Sullanam quoque quadrant reipublicae constitutionem. Nec nunc poenae jus datum illi potestati, quod defuisse a principio tribunis pl. dixerat Liv. II, 35; ab injuriis vel Consulum vel magistratuum aliorum debebant etiam nunc defendere singulos plebejos, et idcirco auxilio esse singulis etiamnum dici possunt. Per Sullam autem vetitum est ad populum accusare, ut testatur Cic. Verr. I, 13: „Sublata populi Rom. in unumquemque nostrum potestate." Quae verba ita explicat Ascon. Ped.: „Scilicet sublata provocatione ad populum, hoc est a tribunis pl." De quo ego loco infra

monebo accuratius. Si autem contigit (nam nihil, quantum scio, relictum est, quod ad tribunatum, qualem constituerit Sulla, faciat illustrandum), vera invenire, admodum laetabor. Volui certe! Nunc placet, quoniam accomodatum esse videtur, primarios veterum scriptorum locos in numerato habere, illos ipsos hic adjungere. Sunt autem haec:

Liv. Ep. L. LXXXIX: „Novis rebus reipublicae statum confirmavit, tribunorum pl potestatem minuit et omne jus legum ferendarum ademit.“

Cic. de legg. III, 9: „Vehementer Sullam probo, qui tribunis sua lege injuriae faciendae potestatem ademerit, auxilii ferendi reliquerit.“

Vell. Pat. II, 30: „Pompejus tribunitiam potestatem restituit, cujus Sulla imaginem in jure reliquerat.“

App. de b. c. 1, 100: „*Τὴν δὲ δημάρχων ἀρχὴν ἴσα καὶ ἀνεῖλεν, ἀσθενεςτάτην ἀποφήνας, καὶ νόμῳ κωλύσας μηδεμίαν ἄλλην τὸν δήμαρχον ἀρχὴν ἔτι ἄρχειν.*“

Cfr. porro Dion. Hal. V, 71. Suet. Caes. V. Caes. b. c. I, 5, 7. Lepid. orat. in fragg. Hist. Sall. §. 9. Licin. Mac. or. e. c. e. c.

PARS II.

DE COMITIIS.

CAPUT I.

In media reipublicae romanae constitutione fuere Comitia, quorum tanta erat vis, tanta potestas, ut, nisi Sulla illorum mutasset formam, vix grave aliquid in republica innovasse diceretur. Sed mutavit, idemque secutus est consilium ac in reliquis actis, quae vel pertinerent ad tribunos plebis, vel ad senatum, cui omnia ea largiretur, quae populo prius dempsisset. Quum igitur nunc in eo sim, ut quid innovaverit Sulla exponam, non absurdum profecto videtur, comitiorum quot fuerint et quae illorum ratio atque natura, antea exponere. Nec tamen opus est, ut diutius in hac re explananda immorer; ea solummodo in medium placet proferre, quae facere posse videantur ad Sullae acta melius intelligenda. Quo quid pertineret, si vellem deinde exponere, sane sisterem inopportune disputationis cursum.

Quod tempore erat prius, inde etiam disserendi initium facere par est. Itaque Comitiorum Curiatorum primum videbimus rationem, quae una paene cum ipsis romanae civitatis nata esse dicuntur primordiis. Latini enim qui fuere nominis, quum primum urbis condendae facerent initium, mox Sabinis, postremo Etruscis adaugebantur, et ab Romulo conditore una cum advenis in tres tribus con-

stituebantur. Nec tamen sufficere videbatur haec divisio; itaque tribuum amplius quaeque decem curias constituit, quarum et ad religionem et ad civitatem regendam administrandamque insignis erat potestas. Ad religionem quod attinet, non est hujus loci exponere: civitati administrandae inserviebant Comitia, eorumque rationem breviter hic licebit attingere. Omnes qui primi fuere Romae cives continebantur in illis Curiis et ita divisi in Comitiis suffragia edebant (Gell. XV, 27). Hic nemo praestabat altero vi ad consilium, quod ratum postremo haberetur, capiendum: quisque suffragium edebat: quod Curialium major vult pars, id habetur Curiae sententia: sententia, quae pluribus communis est Curiis, ea habetur lex, cujus, ut Cic. dicit de legg. III, 19: „haec est vis, scitum esse et jussum in omnes.“ Quotiens igitur attinebat magistratus creare, tam pacis quam belli tempore, quotiens leges vel abrogare vel confirmare, quotiens bellum pacemve decernere: Quirites convocabantur et in Comitiis illis Curiatis de quaque re cognoscebant. Dion. Hal. ed. Sylb. II, p. 224. Quae tamen Comitiorum curiatorum ratio tum desiit recta sanaque esse, cum aliarum urbium bello expugnatarum incolae Romam transferrentur nec vero Tribubus Curiisque insererentur, ideoque nec Comitiis, quae sola tum fuere, Curiatis interesse, nec de republica administranda suffragia edere possent. Quam perversam rationem commutare primus aggressus est Tarquinius Priscus, nullo tamen successu prospero: resistunt enim prudenti regis consilio veteres cives in curiis contenti, qui ordinem patricium nunc con-

stituunt, adeoque religionem sacerdotesque eligunt, quibus sese tutentur. Quod nobili huic non contigit regi, contigit Servio Tullio, qui illi rex succederet: advenas illos constituit, ordinavit, novaque formavit Comitia, quibus omnes promiscue interessent, quicunque romanae civitati essent adscripti. Serv. Tullius vero quum advenas illos vel Alba Longa vel aliunde Romam adscitos cives reddere, jura illis concedere eosque vellet participare reipublicae administrandae, cavendum profecto illi erat, ne patricii, quod imperii gubernacula non amplius soli tenerent, nimis aegre ferrent et ad novarum rerum studium inclinarent: plebeji homines contra ne nimia et subita quidem libertate exsultantes iidem rerum quietum turbarent statum. Itaque fecit, ut major certe civitatis regundae pars maneret penes patricios, partem tamen aliquam plebi traderet, qua nitentes recteque utentes sensim paullatimque possent digni exsistere, qui majorem adipiscerentur in rempublicam regendam potestatem. Omnes itaque cives primum inseruit in tribus (τοπικὰς illas quidem, quum Romuli fuissent γενικαί cfr. Dion. Hal. IV, 14), quarum constituit triginta; deinde comitiorum inprimis causa in assiduos et capite censos omnes descripsit. Quorum illi non multum abfuit quin perferrent omnia in comitiis centuriatis, eorumque rursus locupletissimi majorem aliis habuere vim ad ea, quae ipsi vellent, impetranda. Quo factum est, ut patricii, qui iidem fuerunt plerumque ditissimi, si rem ad verum exigere vellent, acquiescere in Servii Tullii rebus, quibus civitatem constituit novis: plebeji vero, qui antea prorsus nihil fuissent, nunc

sibi possent congratulari, quod cives facti nonnihil valerent in rempublicam administrandam. Utrorumque ratio, et plebejorum et patriciorum, apparet ex Comitiorum centuriatorum interna, ut ita dicam, ratione. Quae tamen quum in promptu sit omnibus, nec ego nova me admodum multa in medium prolaturum esse sperem, silentio rem praeteribo. Illud duntaxat teneamus, ex centuriarum, quae civium fuere partes quarumque multo plures constituere locupletes, suffragiis omnia in his comitiis, quae inde appellabantur centuriata, discerni atque dijudicari fuisse solita: quum antea in Comitiis curiatis ea haberentur rata, quae curiae vellent singulae, in quibus tamen omnes, qui tum fuere soli cives, patricii, eodem fere jure continerentur. Liv. I, 43. Ea omnis in civitatem moderandam potestas, qua gaudebant antea curiata, nunc in centuriata translata est comitia. At vero illa ne manserint prima Romanorum comitia, maximeque fuerint attenuata: minime tamen omni in rempublicam nudata fuere vi; contra gravia quaedam, certe ad tempus aliquod, sibi servavere jura. Quae magis magisque deinceps sunt accisa, ita, ut nihil nisi umbra quaedam antiquorum remaneret Comitiorum curiatorum. Nec mirari oportet, cur non prorsus fuerint denique sublata, cum illa nec potestas, nec auctoritas remanserit. Enimvero Romani summa amplexari solebant veneratione ea, quae ad antiquissimum pertinere videbantur tempus et ad deorum immortalium religionem (Hüllm. *Grundv.* p. 166). Sed, quae fuerint illa jura, par est breviter depingere. Primum igitur illud sibi reservasse dicuntur Patricii jus, ut in his curiatis

tum ut, quotiens opus esset, rusticos ad arma vocarent aut tributa exigerent e. c., in eo crediderim deprehendi debere Comitiorum tributorum incunabula. cfr. Schulze Com. p. 55. Quod tamen si qui sunt qui in dubium vocent, ego profecto haud ambitiosius retinere velim. Plebi, quae primum per Servium Tullium in civitatem recepta erat, aliqua certe in rempublicam concedebatur vis; longe vero major remansit penes patricios, qui, quod reipublicae gubernacula non amplius soli tenerent, illud jam satis aegre ferrent. Fortassis id ipsum Servius prospexit tempus, quo centuriata comitia haud suffectura essent: ipse vero vix aliter rem instituere, nec plebei majora concedere poterat jura. Deinceps, quum magis magisque plebeji sese efferent, ipsi etiam efflagitabant Comitia talia, in quibus, quid ipsi vellent, ratum haberi posset. Votorum patricii plebem fecerunt ipsi compotem: illorum enim immani crudelitate factum, ut secederet plebs, a civitate romana prorsus sese vellet sejungere, nec prius regrederetur, quam jura sibi a patriciis concederentur, quibus ab alterius ordinis sese possent tutari injuriis. Ita tributa comitia sunt enata: quomodo enim potuissent tribuni singulis auxilium ferre, nisi licuisset iis diem dicere coram tributis comitiis, qui injurias in plebem conferrent? Praeterea id, quod opus est, facilius inveniunt homines summo incitati rerum discrimine: plebeji nisi eo tempore, quo cum patriciis de reditu paciscerentur, mentionem injecissent Comitiorum tributorum, nunquam posthac illud facturos fuisse pro vero affirmarim. Jure suo plebs quo uteretur, tempus aucupata est:

paullo post condemnavit Coriolanum, aliosque multos deinceps tribuni pl. fecere reos. Patricii frustra obnixi sunt; moram quidem afferre poterant plebi, prorsus autem impediri haec non poterat, quominus majora semper deinceps jura tributis comitiis sibique ipsi conciliaret. Exstitit Volero Publilius, duabus legibus de plebe romana mirifice meritus. Primum enim sanxit, ut plebis magistratus tributis fierent comitiis. Liv. II, 56. Itaque quum nil valerent amplius patricii ad creandos tribunos pl., quum creandi, quoscunque vellet, arbitrium esset inde ab hoc tempore penes plebem: quantum exspectandum fuit a futuris magistratibus, qui prorsus plebi ejusque rationibus essent addicti?! Alteram affert Dion. Hal. IX, 41—43 legem, qua, quicquid aliud apud plebem agi decernique oporteret, tributis comitiis eodem modo in deliberationem vocaretur. cfr. Zonar. VII, 17: „*ἐξεῖναι τῷ πλήθει καὶ καθ᾽ ἑαυτῷ συνιέναι, καὶ ἄνευ ἐκείνων (τῶν Εὐπατρίδων) βουλεύεσθαι καὶ χρηματίζειν πάνθ᾽ ὅσα ἂν ἐθελήσῃ.*“ Nec vero hic tribuni pl. substiterunt; minime acquievere in eo, quo utebantur, jure: nam, uti Justinus ait: „homines quo plura habent, eo ampliora cupiunt.“ Majorem igitur nunc vim longeque insigniorem auctoritatem, quum jam Decemviri, ut sese magistratu abdicarent, essent coacti, conciliaverunt Comitiis tributis L. Valerius et M. Horatius Consules. Sanxere enim lege: „*Ut, quod tributim plebes jussisset, populum teneret.*“ cfr. Hüllm. *Grdv.* p. 320. Unde apparet, Patricios quoque tributis nunc interesse potuisse comitiis, nec, ut de hoc nobis persuadeamus, opus est diserta quadam lege. Ita igi-

Comitiis de iis judicium ferrent, qui ordinis sui jura infringere vel attentare essent conati. Quod tamen jus equidem comitiis nec certo denegaverim, nec vero etiam illis fuisse vere juraverim. Nam primum omnino desunt clara exempla; deinde licet tria illa, quae proferantur, satis clare diserteque rem suppeditarint, ipsam tamen ego valde demiror exemplorum penuriam, quum tamen talis judicii opportunitas saepenumero in istis cum plebe contentionibus adfuisse videatur. Alterum fuit jus, certius illud quidem et minus dubitationi obnoxium, quo Magistratus, qui jam centuriatis facti essent comitiis, hic vel confirmarentur vel etiam repudiarentur, simulque lege, curiata quae dicitur, exornarentur. Quod satis testatur Cic. de leg. agr. II, 10, classico loco, difficili autem explicatu, ubi v. c. haec leguntur: „iterum de iisdem judicabatur, ut esset reprehendendi potestas, si populum beneficii sui poeniteret.“ vel ita: „Rullus lege curiata decemviros ornat e. e.“ Res illustrat quoque historiola ap. Liv. XXVI, 19, ubi sane populum beneficii sui poenitere coepisset; contigit tamen Publ. Cornelio Scipioni, XXIV annorum juveni, legem curiatam adsequi. Curiata comitia Liv. illo loco praeter consuetudinem vocat concionem: „advocata concione ita disseruit“ et paullo post: „tantumque imperium permisit“ cfr. Hüllm. *Grundv.* p. 147 et 148. Quod vel confirmandi, vel quibus jam aliis comitiis magistratus demandatus fuit (jam hoc inauditum et plane novo more, uti curiata lege magistratus detur, qui nullis comitiis ante sit datus Cic. de leg. agr. II, 10.), illum ipsum denegandi

arbitrium, etiam si non prorsus obsoleverit, tamen perraro usurpatum esse, pro vero confirmaverim. cfr. Cic. ad div. I, 9 extr. ad Qu. frat. III, 2. Acquieverunt in eo, ut, quicunque Consules Praetoresve creati essent, eos lege curiata ornarent, scilicet ut auspicia illi ipsi habere possent. Magistratus hinc optimo jure seu optima lege creati (Cic. Phil. V, 16), curiata vero comitia tantum auspiciorum causa remansisse dicuntur (Cic. l. l. c. 11). Hinc Liv. XXI, 63; XXII, 1: „Consulem inauspicato factum —: quod enim illi justum imperium, quod auspicium esse? — nec privatum auspicia sequi, nec sine auspiciis profecto in externo ea solo nova atque integra concipere posse." Nec vero obliviscendum est, illam legem curiatam belli gerundi potestatem inprimis suppeditare debuisse: quod in causa est, cur Liv. V, 52 Comitia curiata dicat ea, quae rem militarem contineant.

Verum ne illud ad me pertineat, in commemorandis Romanorum comitiis longe me et modum excessisse, et hujus praefatiunculae finem consiliumque neglexisse, transeam statim ad comitiorum tertium genus depingendum, quod, quamquam tempore posterius, dignitate vero, auctoritate atque in rempublicam administrandam potestate paene alia superavit. Dico Comitia tributa, ab exiguis tamen quae profiscebantur primordiis. Quae enim singularum tribuum rusticarum curatoribus (Varro de l. l. V pag. 74 ed. Bip.) assignavit Servius Tullius officia (cfr. Dion. Hal. IV pag. 220 Sylb.), ut scirent agrestium, qui in unum eundemq. pagum contributi essent, nomina et ex quibus se alerent praediis:

tum ut, quotiens opus esset, rusticos ad arma vocarent aut tributa exigerent e. c., in eo crediderim deprehendi debere Comitiorum tributorum incunabula. cfr. Schulze Com. p. 55. Quod tamen si qui sunt qui in dubium vocent, ego profecto haud ambitiosius retinere velim. Plebi, quae primum per Servium Tullium in civitatem recepta erat, aliqua certe in rempublicam concedebatur vis; longe vero major remansit penes patricios, qui, quod reipublicae gubernacula non amplius soli tenerent, illud jam satis aegre ferrent. Fortassis id ipsum Servius prospexit tempus, quo centuriata comitia haud suffectura essent: ipse vero vix aliter rem instituere, nec plebei majora concedere poterat jura. Deinceps, quum magis magisque plebeji sese efferent, ipsi etiam efflagitabant Comitia talia, in quibus, quid ipsi vellent, ratum haberi posset. Votorum patricii plebem fecerunt ipsi compotem: illorum enim immani crudelitate factum, ut secederet plebs, a civitate romana prorsus sese vellet sejungere, nec prius regrederetur, quam jura sibi a patriciis concederentur, quibus ab alterius ordinis sese possent tutari injuriis. Ita tributa comitia sunt enata: quomodo enim potuissent tribuni singulis auxilium ferre, nisi licuisset iis diem dicere coram tributis comitiis, qui injurias in plebem conferrent? Praeterea id, quod opus est, facilius inveniunt homines summo incitati rerum discrimine: plebeji nisi eo tempore, quo cum patriciis de reditu paciscerentur, mentionem injecissent Comitiorum tributorum, nunquam posthac illud facturos fuisse pro vero affirmarim. Jure suo plebs quo uteretur, tempus aucupata est:

paullo post condemnavit Coriolanum, aliosque multos deinceps tribuni pl. fecere reos. Patricii frustra obnixi sunt; moram quidem afferre poterant plebi, prorsus autem impediri haec non poterat, quominus majora semper deinceps jura tributis comitiis sibique ipsi conciliaret. Exstitit Volero Publilius, duabus legibus de plebe romana mirifice meritus. Primum enim sanxit, ut plebis magistratus tributis fierent comitiis. Liv. II, 56. Itaque quum nil valerent amplius patricii ad creandos tribunos pl., quum creandi, quoscunque vellet, arbitrium esset inde ab hoc tempore penes plebem: quantum exspectandum fuit a futuris magistratibus, qui prorsus plebi ejusque rationibus essent addicti?! Alteram affert Dion. Hal. IX, 41—43 legem, qua, quicquid aliud apud plebem agi decernique oporteret, tributis comitiis eodem modo in deliberationem vocaretur. cfr. Zonar. VII, 17: „ἐξεῖναι τῷ πλήθει καὶ καθ' ἑαυτῷ συνιέναι, καὶ ἄνευ ἐκείνων (τῶν Εὐπατρίδων) βουλεύεσθαι καὶ χρηματίζειν πάνθ' ὅσα ἂν ἐθελήσῃ." Nec vero hic tribuni pl. substiterunt; minime acquievere in eo, quo utebantur, jure: nam, uti Justinus ait: „homines quo plura habent, eo ampliora cupiunt." Majorem igitur nunc vim longeque insigniorem auctoritatem, quum jam Decemviri, ut sese magistratu abdicarent, essent coacti, conciliaverunt Comitiis tributis L. Valerius et M. Horatius Consules. Sanxere enim lege: „*Ut, quod tributim plebes jussisset, populum teneret.*" cfr. Hüllm. *Grdv.* p. 320. Unde apparet, Patricios quoque tributis nunc interesse potuisse comitiis, nec, ut de hoc nobis persuadeamus, opus est diserta quadam lege. Ita igi-

tur ad fastigium paene auctoritatis atque potestatis adscenderunt tributa comitia, nec multum aberat, quin centuriatis vi in rempublicam moderandam exaequarentur. Quum jam ad legum ferendarum potestatem, ad judiciorum habendorum nihil fere illis deesset arbitrium — quod exemplorum ingens probat multitudo, quam Göttl. V. D. accuratissime collegit — ad magistratuum duntaxat quod attinet creationem, in eo centuriatis fuere inferiora comitiis. Exstiterunt autem Viri D., qui dicerent, XII tabularum legibus illam summam accessisse tributis comitiis potestatem: attamen immerito videntur Livio refragari. Ille enim nonne disertissimis docet verbis (III, 55), Css. demum Valerium atque Horatium fuisse gravissimae legis auctores? Deinde non eos sese praebuere Decemviri, ut plebis auctoritati valde favisse putarem. Quam tamen sententiam Göttl. V. D. in ephemeridibus iis, quae inscriptae sunt Hermes, tom. XXVI, fasc. I, non solum suo ipse judicio probare conatus est, verum etiam Ciceronis locupletissimi sane testis auctoritate voluit evincere. In suas itaque traxit partes Cic. de legg. III, 19. §. 44—46: sed, ni egregie fallor, non libentem nec volentem, sed valde refragantem reluctantemque. Primum enim his verbis: „maximo comitiatu" si quidem recte verborum percepi vim, significari putat utraque comitia, et tributa et centuriata. Credo tamen illud non fulciri posse scriptorum testimoniis. Deinde illis verbis: „ferri de singulis nisi centuriatis e. c." longe alium inesse statuit sensum atque iis, quae haud procul fuerant antegressa, dico ea: „quarum altera privilegia tollit." Ad illud

„singulis“ enim supplet „rebus“, quam „hominibus“ potius supplendum esse videatur. Postremo retulit haec verba: „nondum inventis seditiosis tribunis plebis“ ad illa: „ferri de singulis (sc. rebus) e. c.“ At vero mihi longe alius illi loco inesse videtur sensus, quem quin apponam haud sustineo.

Duae, inquit Cicero, leges de XII tabulis in nostrum usum translatae sunt: quorum altera privilegia tollit, altera de capite civis rogari, nisi maximo comitiatu, vetat. Duae vero hae leges illo XII tabularum tempore minime primum sunt enatae, sed ad longe prius pertinent aevum, quo de seditiosis tribunis pl. ne cogitatum quidem est, qui sane istam legem saepe migrarunt. Privilegiis enim quid est injustius? Quod si vero aliquando opus esset privilegiis, certe nec per solum senatum, nec per curiata comitia illa fieri sanxerunt majores, sed per Centuriata Comitia, in quibus, ut jam Cic. dicit ex sua ipsius sententia et respiciens atque prospectans ad illud quod sequebatur tempus, quo tributa comitia in usum ventura erant: in quibus, ajo, „populus descriptus est censu, ordinibus, aetatibus.“ Ex hoc igitur Ciceronis loco mihi quidem non videtur elucere, tributa comitia summa gravissimaque XII tabularum legibus facta esse, contra illorum ratio eadem atque antea remansit: lege Valeria demum et Horatia vis illis atque auctoritas addita est; nam legum ferendarum, quae omnem populum obstringerent, arbitrium liberum illis concessum est. Quo quum uterentur in posterum non parce, quum nec deponerent de singulis reis judicium ferendi et jus et consuetudinem, sane factum

tum ut, quotiens opus esset, rusticos ad arma vocarent aut tributa exigerent e. c., in eo crediderim deprehendi debere Comitiorum tributorum incunabula. cfr. Schulze Com. p. 55. Quod tamen si qui sunt qui in dubium vocent, ego profecto haud ambitiosius retinere velim. Plebi, quae primum per Servium Tullium in civitatem recepta erat, aliqua certe in rempublicam concedebatur vis; longe vero major remansit penes patricios, qui, quod reipublicae gubernacula non amplius soli tenerent, illud jam satis aegre ferrent. Fortassis id ipsum Servius prospexit tempus, quo centuriata comitia haud suf; fectura essent: ipse vero vix aliter rem instituere, nec plebei majora concedere poterat jura. Deinceps, quum magis magisque plebeji sese efferent, ipsi etiam efflagitabant Comitia talia, in quibus, quid ipsi vellent, ratum haberi posset. Votorum patricii plebem fecerunt ipsi compotem: illorum enim immani crudelitate factum, ut secederet plebs, a civitate romana prorsus sese vellet sejungere, nec prius regrederetur, quam jura sibi a patriciis concederentur, quibus ab alterius ordinis sese possent tutari injuriis. Ita tributa comitia sunt enata: quomodo enim potuissent tribuni singulis auxilium ferre, nisi licuisset iis diem dicere coram tributis comitiis, qui injurias in plebem conferrent? Praeterea id, quod opus est, facilius inveniunt homines summo incitati rerum discrimine: plebeji nisi eo tempore, quo cum patriciis de reditu paciscerentur, mentionem injecissent Comitiorum tributorum, nunquam posthac illud facturos fuisse pro vero affirmarim. Jure suo plebs quo uteretur, tempus aucupata est:

paullo post condemnavit Coriolanum, aliosque multos deinceps tribuni pl. fecere reos. Patricii frustra obnixi sunt; moram quidem afferre poterant plebi, prorsus autem impediri haec non poterat, quominus majora semper deinceps jura tributis comitiis sibique ipsi conciliaret. Exstitit Volero Publilius, duabus legibus de plebe romana mirifice meritus. Primum enim sanxit, ut plebis magistratus tributis fierent comitiis. Liv. II, 56. Itaque quum nil valerent amplius patricii ad creandos tribunos pl., quum creandi, quoscunque vellet, arbitrium esset inde ab hoc tempore penes plebem: quantum exspectandum fuit a futuris magistratibus, qui prorsus plebi ejusque rationibus essent addicti?! Alteram affert Dion. Hal. IX, 41—43 legem, qua, quicquid aliud apud plebem agi decernique oporteret, tributis comitiis eodem modo in deliberationem vocaretur. cfr. Zonar. VII, 17: „*ἐξεῖναι τῷ πλήθει καὶ καθ᾽ ἑαυτῷ συνιέναι, καὶ ἄνευ ἐκείνων (τῶν Εὐπατρίδων) βουλεύεσθαι καὶ χρηματίζειν πάνθ᾽ ὅσα ἂν ἐθελήσῃ.*“ Nec vero hic tribuni pl. substiterunt; minime acquievere in eo, quo utebantur, jure: nam, uti Justinus ait: „homines quo plura habent, eo ampliora cupiunt.“ Majorem igitur nunc vim longeque insigniorem auctoritatem, quum jam Decemviri, ut sese magistratu abdicarent, essent coacti, conciliaverunt Comitiis tributis L. Valerius et M. Horatius Consules. Sanxere enim lege: „*Ut, quod tributim plebes jussisset, populum teneret.*“ cfr. Hüllm. *Grdv.* p. 320. Unde apparet, Patricios quoque tributis nunc interesse potuisse comitiis, nec, ut de hoc nobis persuadeamus, opus est diserta quadam lege. Ita igi-

tur ad fastigium paene auctoritatis atque potestatis adscenderunt tributa comitia, nec multum aberat, quin centuriatis vi in rempublicam moderandam exaequarentur. Quum jam ad legum ferendarum potestatem, ad judiciorum habendorum nihil fere illis deesset arbitrium — quod exemplorum ingens probat multitudo, quam Göttl. V. D. accuratissime collegit — ad magistratuum duntaxat quod attinet creationem, in eo centuriatis fuere inferiora comitiis. Exstiterunt autem Viri D., qui dicerent, XII tabularum legibus illam summam accessisse tributis comitiis potestatem: attamen immerito videntur Livio refragari. Ille enim nonne disertissimis docet verbis (III, 55), Css. demum Valerium atque Horatium fuisse gravissimae legis auctores? Deinde non eos sese praebuere Decemviri, ut plebis auctoritati valde favisse putarem. Quam tamen sententiam Göttl. V. D. in ephemeridibus iis, quae inscriptae sunt Hermes, tom. XXVI, fasc. I, non solum suo ipse judicio probare conatus est, verum etiam Ciceronis locupletissimi sane testis auctoritate voluit evincere. In suas itaque traxit partes Cic. de legg. III, 19. §. 44—46: sed, ni egregie fallor, non libentem nec volentem, sed valde refragantem reluctantemque. Primum enim his verbis: „maximo comitiatu" si quidem recte verborum percepi vim, significari putat utraque comitia, et tributa et centuriata. Credo tamen illud non fulciri posse scriptorum testimoniis. Deinde illis verbis: „ferri de singulis nisi centuriatis e. c." longe alium inesse statuit sensum atque iis, quae haud procul fuerant antegressa, dico ea: „quarum altera privilegia tollit." Ad illud

„singulis“ enim supplet „rebus“, quam „hominibus“ potius supplendum esse videatur. Postremo retulit haec verba: „nondum inventis seditiosis tribunis plebis“ ad illa: „ferri de singulis (sc. rebus) e. c.“ At vero mihi longe alius illi loco inesse videtur sensus, quem quin apponam haud sustineo.

Duae, inquit Cicero, leges de XII tabulis in nostrum usum translatae sunt: quorum altera privilegia tollit, altera de capite civis rogari, nisi maximo comitiatu, vetat. Duae vero hae leges illo XII tabularum tempore minime primum sunt enatae, sed ad longe prius pertinent aevum, quo de seditiosis tribunis pl. ne cogitatum quidem est, qui sane istam legem saepe migrarunt. Privilegiis enim quid est injustius? Quod si vero aliquando opus esset privilegiis, certe nec per solum senatum, nec per curiata comitia illa fieri sanxerunt majores, sed per Centuriata Comitia, in quibus, ut jam Cic. dicit ex sua ipsius sententia et respiciens atque prospectans ad illud quod sequebatur tempus, quo tributa comitia in usum ventura erant: in quibus, ajo, „populus descriptus est censu, ordinibus, aetatibus.“ Ex hoc igitur Ciceronis loco mihi quidem non videtur elucere, tributa comitia summa gravissimaque XII tabularum legibus facta esse, contra illorum ratio eadem atque antea remansit: lege Valeria demum et Horatia vis illis atque auctoritas addita est; nam legum ferendarum, quae omnem populum obstringerent, arbitrium liberum illis concessum est. Quo quum uterentur in posterum non parce, quum nec deponerent de singulis reis judicium ferendi et jus et consuetudinem, sane factum

est, ut haberent eandem paene quam Centuriata Comitia in rempublicam potestatem. Nec illa sufficiebat, sed augere eam amplius ac centuriata comitia prorsus aequare romana voluit plebs. Restabat duntaxat magistratuum majorum arbitrium creandorum, quo inferiora etiam tum essent: quod tamen sibi conciliavere nova illa comitiorum ratione, qua centuriae tribuum redderentur partes. Res extra dubium posita est; aperte enim Liv. I, 43 ita: „Nec mirari oportet, hunc ordinem, qui nunc est, post expletas XXXV tribus, duplicato earum numero centuriis juniorum seniorumque, ad institutam a Serv. Tullio summam non convenire — neque hae tribus (Servii) ad Centuriarum distributionem numerumque quidquam pertinuere.“ Et Dion. IV, 21, quum centuriata comitia cum tributis commixta esse aperte dixisset, rationem his verbis describit: „*οὐ τῶν λόχων καταλυθέντων, ἀλλὰ τῆς κλήσεως αὐτῶν οὐκ ἔτι τὴν ἀρχαίαν ἀκρίβειαν φυλαττούσης*. Rem autem obscurissimam tam pauca utriusque scriptoris verba in clara luce nequeunt collocare. Conjecturis idcirco V. D. aperire conati sunt, nova quemadmodum haec centuriata comitia, nam ita vocantur, cfr. Hüllm. *Staatsv.* p. 340, fuissent instituta. Quibus singulis recensendis quominus hic locum concedam, prohibet hujus scriptiunculae supremum consilium, nec minus praeclara Göttlingii, quam jam supra commemoravi, commentatio: qui quum de reliquis egregie exposuit, tum de novis his quoque comitiis eam in medium protulit sententiam, quam equidem, nam alia verisimilior illa quidem profecto non exstat, amplectendam esse censeo.

Itaque hic eadem nolo recoquere. Ceterum illud quoque mihi persuasum habeo, ad tempus certe comitia centuriata, quae fuerint ex Servii Tullii institutione, ad judicium scilicet de perduellione ferendum, in usu remansisse, donec lege Coelia (647 u. c.) prorsus abolevisse videantur. Jam vero infixum insitumque erat Romanae plebei studium, ut sine ullo discrimine, in singulas solummodo descripta tribus, suffragia ederet, ut antiqua quae fuere tributa comitia, etiamtum non sublata esse viderentur. Itaque tributa comitia amplius convenere, in quibus sane optimates nil valerent, omnia contra penes humiles cives posita essent. Hinc factum esse puto, ut a. u. c. 575 Censores M. Fulvius Nobilior et M. Aemilius Lepidus suffragia, teste Liv. XL, 51, mutarent, regionatimque generibus hominum caussisque et quaestibus tribus describerent. Sed ea fuit romanae civitatis ratio, ut nullo pacto plebs posset coërceri atque frenari; itaque amplius etiam convenere plebeji fuse, quemadmodum Cic. dicit de legg. III, 19, in tribus convocati, et eo processere impudentiae, ut, quae hic decernerent, rata quoque ex illa lege Horatia atque Valeria: „ut, quod tributim plebs jussisset, populum teneret" haberi vellent. Haec comitia, quae se in exsilium abire jusserant, recte meritoque Cic. rata esse non posse arbitratur. Ad haec comitia pertinuere Scipionis Africani minoris verba: „Hostium, inquit, armatorum totiens clamore non territus, qui possum vestro moveri, quorum noverca est Italia? cfr. Vell. Pat. II, 4. Valer. Max. VI, 2, 3. Aurel. Victor de v. i. 58. De tribus his comitiorum

generibus haec sufficiant. Nonnisi monere volui paucula, quae aditum possent munire ad Sullae acta. Quae autem fortasse nimis breviter videbuntur esse adtacta, ea facile poterunt ex Göttlingii praeclara suppleri commentatione, cui me plurimum scriptioni debere, grato confiteor animo. Quaestionem autem hic quandam in ipso praefationis fine et tanquam corollarii loco proponam. Animo meo obversantur centuriata comitia a Servio Tullio constituta, quae justo brevius me absolvisse maxime vererer, nisi nunc quidem illorum ratio haberetur tralatitia: inprimis autem vexat me atque conturbat apud Cic. ille de rep. II, 22 fatalis locus; qui sorte profecto unus ex multis delectus est, ut omnibuscunque interpretibus tanquam pro cruce debeat haberi. Attamen laetam illi ego vaticinor conditionem atque sanam: ex incredibili enim multitudine, quae quotidie paene aggreditur illum locum ingenii armis telisve, emerget aliquando aliquis, et idem sorte delectus, qui forte fortuna in rectum incidat. Quem me fore qui possim sperare, quum nec Göttlingio contigerit V. D. omne ferre punctum? De XII illis equitum centuriis Ciceronem non cogitasse videri, quod a Serv. Tullio non novae essent conscriptae, ideoque nec proprie pertinerent ad comitiorum eam, cujus ille rex auctor est, formam. Huc accedere, quod Serv. non penes veteres patricios, sed penes locupletes suffragiorum momenta esse voluerit. His argumentis Göttlingii conjectura subnixa est. At vero a comitiis Centuriae illae equitum minime exclusae, deinde et ipsae fuere locupletium: nam patricios eosdem fuisse

locupletissimos pro certo affirmaverim. Aut Cic. equitum Centurias prorsus neglexit, utpote quae ad classes earumque artificiosam nil pertinerent rationem — acquievisset igitur in classium conditione breviter in memoriam revocanda — aut integram attigit comitiorum centuriatorum rationem. Tunc equitum centuriae haud poterant deesse. Prius illud equidem pro vero habuerim, confidens his Ciceronis verbis: „Deinde equitum magno numero ex omni populi summa separata, reliquum populum distribuit in quinque classes, senioresque a junioribus divisit: eosque ita disparavit, ut suffragia non in multitudinis, sed in locupletium potestate essent: curavitque . . . . Quae discriptio si esset ignota vobis, explicaretur a me.“ — Ferrine possit haec sententia, unde, quemadmodum numerorum signa debeant commutari, facile colligas, doctorum hominum judicio reliquerim.

CAPUT II.

De Comitiorum ea forma, quam constituit L. Cornelius Sulla.

Disertorum, quae nos docerent, testimoniorum summam raritatem saepenumero sumus conquesti, nec nunc profecto meliori versamur in causa. Tamen Sullae vita atque historia gravissima est cum ad cetera ejus acta, tum inprimis ad ea ex situ atque squalore eruenda, quae ad comitiorum pertinent formam. Quae quum ita sint, equidem primum ex historia Sullaeque vita, deinde, quoad quidem

potero atque licebit, veterum adjutus testimoniis probare atque haec tria confirmare studebo:

1) nonnisi unum comitiorum genus Sullam reliquisse,
2) Tributa sustulisse,
3) Centuriata Comitia sola habuisse videri rata; quamquam vetere sua potestate usitataque in rempublicam administrandam vi nec illa pateretur amplius uti.

§. 1.

Nonnisi unum comitiorum genus reliquit.

Quare igitur tanto agmine atque animis incedit Sulla? Quia secundae res mire sunt vitiis obtentui; quibus labefactis, quam formidatus est, tam contemnetur; — „*nisi forte specie concordiae et pacis, quae sceleri et parricidio suo nomina indidit.*“ Quid? Num fidem nos oportet habereLepido ita calumnianti (cfr. or. Lepidi in fragg. Sall. §. 10), quem Philippus Cs. omnium appellat flagitiosorum postremum, qui pejor an ignavior sit deliberari non possit? Ego contra puto fluxisse ex uno eodemque fonte omnia Sullae acta, nimirum ut pacem concordiamque, ex longo sane temporis spatio satis debilitatam, tandem aliquando restitueret et civitatis formam saniorem redderet. Quod cum mihi sit persuasissimum, inde praeprimis sententiae meae sumo argumentum fulcrumque: quod dictatura sponte sese Sulla abdicaverit, civitatemque legibus, quas scripserit, uti vel potius frui passus fuerit. Quod si Lepidus mente prospexisset, in istum modum profecto non locutus esset: „nisi forte speratis, taedium jam aut

paullo post condemnavit Coriolanum, aliosque multos deinceps tribuni pl. fecere reos. Patricii frustra obnixi sunt; moram quidem afferre poterant plebi, prorsus autem impediri haec non poterat, quominus majora semper deinceps jura tributis comitiis sibique ipsi conciliaret. Exstitit Volero Publilius, duabus legibus de plebe romana mirifice meritus. Primum enim sanxit, ut plebis magistratus tributis fierent comitiis. Liv. II, 56. Itaque quum nil valerent amplius patricii ad creandos tribunos pl., quum creandi, quoscunque vellet, arbitrium esset inde ab hoc tempore penes plebem: quantum exspectandum fuit a futuris magistratibus, qui prorsus plebi ejusque rationibus essent addicti?! Alteram affert Dion. Hal. IX, 41—43 legem, qua, quicquid aliud apud plebem agi decernique oporteret, tributis comitiis eodem modo in deliberationem vocaretur. cfr. Zonar. VII, 17: „ἐξεῖναι τῷ πλήθει καὶ καθ᾽ ἑαυτῷ συνιέναι, καὶ ἄνευ ἐκείνων (τῶν Εὐπατρίδων) βουλεύεσθαι καὶ χρηματίζειν πάνθ᾽ ὅσα ἂν ἐθελήσῃ.“ Nec vero hic tribuni pl. substiterunt; minime acquievere in eo, quo utebantur, jure: nam, uti Justinus ait: „homines quo plura habent, eo ampliora cupiunt.“ Majorem igitur nunc vim longeque insigniorem auctoritatem, quum jam Decemviri, ut sese magistratu abdicarent, essent coacti, conciliaverunt Comitiis tributis L. Valerius et M. Horatius Consules. Sanxere enim lege: „*Ut, quod tributim plebes jussisset, populum teneret.*“ cfr. Hüllm. *Grdv.* p. 320. Unde apparet, Patricios quoque tributis nunc interesse potuisse comitiis, nec, ut de hoc nobis persuadeamus, opus est diserta quadam lege. Ita igi-

tur ad fastigium paene auctoritatis atque potestatis adscenderunt tributa comitia, nec multum aberat, quin centuriatis vi in rempublicam moderandam exaequarentur. Quum jam ad legum ferendarum potestatem, ad judiciorum habendorum nihil fere illis deesset arbitrium — quod exemplorum ingens probat multitudo, quam Göttl. V. D. accuratissime collegit — ad magistratuum duntaxat quod attinet creationem, in eo centuriatis fuere inferiora comitiis. Exstiterunt autem Viri D., qui dicerent, XII tabularum legibus illam summam accessisse tributis comitiis potestatem: attamen immerito videntur Livio refragari. Ille enim nonne disertissimis docet verbis (III, 55), Css. demum Valerium atque Horatium fuisse gravissimae legis auctores? Deinde non eos sese praebuere Decemviri, ut plebis auctoritati valde favisse putarem. Quam tamen sententiam Göttl. V. D. in ephemeridibus iis, quae inscriptae sunt Hermes, tom. XXVI, fasc. I, non solum suo ipse judicio probare conatus est, verum etiam Ciceronis locupletissimi sane testis auctoritate voluit evincere. In suas itaque traxit partes Cic. de legg. III, 19. §. 44—46: sed, ni egregie fallor, non libentem nec volentem, sed valde refragantem reluctantemque. Primum enim his verbis: „maximo comitiatu" si quidem recte verborum percepi vim, significari putat utraque comitia, et tributa et centuriata. Credo tamen illud non fulciri posse scriptorum testimoniis. Deinde illis verbis: „ferri de singulis nisi centuriatis e. c." longe alium inesse statuit sensum atque iis, quae haud procul fuerant antegressa, dico ea: „quarum altera privilegia tollit." Ad illud

ille item plurimum valere in republica non passus fuisset.

§. 3.

Centuriata Comitia rata habuit.

Neminem opinor offendet, quod dixi Sullam centuriata duntaxat rata habuisse comitia. De quibus enim aliis licuit cogitare? Num de curiatis? Minime vero: vix enim illorum supererat nomen atque imago; praeterea illud praecipue tenendum est, Sullam discrimina inter utrumque ordinem prorsus tollere atque subvertere voluisse. Attamen in illis curiatis comitiis nonnisi continebantur patricii, quibus idcirco commisisset omnem in rempublicam gubernandam potestatem. — Nec vero sermo est de iis centuriatis comitiis, quae Servius Tullius constituit. Etenim haec si rata habuisset, tantum abfuisset, ut civitatem quietam redditurus, ut fuisset quasi vi et necessitate cives ad tumultus novarumque rerum studia propulsurus. Quid enim? Temporum ratio nonne prorsus fuit commutata? Per tot enim saeculorum decursum quum patriciis omnino pares fuissent plebeji potestate in rempublicam gerendam, qui potuissent in nova acquiescere illi rerum conditione, qua, quae jam diu intermortua essent, restituerentur antiqua illa Comitia centuriata? Praeterea nec illud nos oportet oblivisci, fundamenta, quibus sua superstruxerit Servius Tullius comitia, tempore plane fuisse commutata. Repraesentabant exercitus formam, et ad illius rationem erant composita. Hinc Liv. dicit I, 43: „Ita pedestri exercitu ornato distributoque, equitum scripsit centurias.“ cfr. Nast

röm. Kriegsalterth. p. 70. Niebuhr *röm. Gesch.* I, 531. Porro ad certum quendam censum erant accommodata, qui tamen ipse, quum divitiae mirum in modum excrescerent, alius esse debebat. At vero, ne diutius inhaerescam rei minime obscurae, sermo est de iis Centuriatis comitiis, quae post expletas XXXV tribus Liv. teste sunt constituta.

Ad sententiam meam ex rei ipsius, ut ita dicam, natura, ex Sullae vita argumentis probandam haec habui; nec credo quisquam dubitet amplius, tributa Sullam prorsus sustulisse, nonnisi unum Comitiorum genus relinquere potuisse, centuriata autem sola rata habuisse. —

Verum dubiam habent in rebus historicis ea fidem, quae nonnisi ratione inveneris et sola ingenii agitatione. Erroribus omnes promiscue sumus obnoxii. Satis igitur est justa causa, cur laetemur. Etenim aetatem tulerunt quaedam testimonia veterum scriptorum, qui judicii nostri tenuitatem atque exilitatem sua confirment auctoritate atque stabiliant. Nimirum tributa comitia, quotquot illorum fuerint genera, Sullam sustulisse his verbis refert App. I, 59: „καὶ τὰς χειροτονίας μὴ κατὰ φυλὰς, ἀλλὰ κατὰ λόχους, ὡς Τύλλιος βασιλεὺς ἔταξε, γίγνεςθαι." Quoniam autem hic locus sane ita sese habeat, ut facile quemvis huc recens delatum, in fraudem possit inducere, prava intelligentia non absonum erit praecaveri. Centuriata Servii Tullii comitia, situ atque squalore paene obruta, denuo in usum revocasse Sullam, nec voluit, nec velle potuit

Appianus indicare. Centurias originem ducere a Servio Tullio, hoc significat, nil aliud dixit. Et vere dixit! Unde autem probetur haec, quam proposui, verborum explicatio, quaeris? Ex ipso videlicet Appiano ita c. 100 l. I. referente: „*Αὐτῇ δὲ τῇ βουλῇ, διὰ τὰς στάσεις καὶ τοὺς πολέμους πάμπαν ὀλιγανδρούσῃ, προςκατέλεξεν ἀμφὶ τοὺς τριακοσίους ἐκ τῶν ἀρίστων ἱππέων, ταῖς φυλαῖς ἀναδοὺς ψῆφον περὶ ἑκάστου.*“ Jam vero video, quid mihi responderi opponique possit: aliud Appianum hoc, aliud illo loco significasse tempus; alterum, quo exercitu adjuvante Marium, Sulpicium aliosque furiosorum hominum satellites consul urbe exturbaret; alterum, quo Dictator dictus, adversariis armorum vi suppressis, omnium rerum teneret Sulla arbitrium, civitatisque nova ratione constituendae caperet consilium: Consulis autem acta per Cinnam Mariumque esse sublata, nec idcirco videri ipsum Sullam fuisse rata habiturum, aut ad ea sese compositurum, quae legibus jam dudum essent irrita facta. Attamen non est, quod scrupulum nobis injiciat, animumque nostrum in dubitationem avocet. Teste enim eodem Appiano, ex cujus scriptis veluti ex limpidissimo fonte rerum nobis sumenda sunt argumenta, Appiano inquam teste omnia Sullae acta, tam Consulis quam Proconsulis, rata ex S. C. habita sunt. Ipsa placet hic subscribere verba, ut nihil residuum esse possit dubitationis. c. 97 l. I. leguntur, quae huc faciant: „*οἱ καὶ πάντα, ὅσα διῴκησεν ὁ Σύλλας ὑπατεύων τε καὶ ἀνθυπατεύων, βέβαια καὶ ἀνεύθυνα ἐψηφίζοντο εἶναι.*“

Quod praeterea addam, nil fere relictum esse

puto, nisi forte illud: Comitia tributa ne eatenus quidem amplius in usu remansisse, quatenus Tribuni plebis hic soliti essent creari. Quod cur commemoraverim, haud quemquam oportebit miratio subire: ita enim contendunt viri quidam docti, quibus, quoniam auctoritate praepollent, in eo certe obsecundare visum fuit, quod illorum sententiam non prorsus negligendam existimarem. Adhuc unus non est repertus in antiquis scriptoribus locus, qui de eo nobis persuaserit. Nec videntur ita esse adligati ad tributa Comitia plebis praesides atque tutores, ut dirimi nullo pacto possint. Primis tribunatus temporibus tribuni in Comitiis curiatis soliti sunt creari. Quod video probari Ciceroni. cfr. frag. orat. I. pro Cornel. ap. Ascon.: „auspicato decem tribuni pl. comitiis curiatis creati sunt."

Quod fecit Pericles in Atheniensium republica, nimirum qui per Ephialtem Areopagi infringeret potestatem, statuens, duos in una civitate senatus male se habere: idem paene fecit Sulla in Comitiis. Quorum cum tria genera reipublicae detrimento esse debere censeret, sustulit tributa, rata habuit sola centuriata. At vero quum satis mihi jam videar rem explicuisse, legentium patientiam non amplius periclitabor. Itaque quod restat, statim aggrediar: quemadmodum enim Sulla centuriata constituerit comitia, id sequitur ut aperiendum sit. Triplici autem potissimum ratione illorum imminuisse videtur potestatem: nam

1) Sustulit libera ab auctoribus patribus suffragia,
2) Provocationem ad populum (ut vulgo dicitur),
3) Arbitrium creandorum sacerdotum.

I.

Romani si nunquam defecissent ab illius, quo hae leges floruere et constanter sunt observatae, temporis consuetudine:

a) Ne quid ad populum ferretur, de quo nisi antea senatus deliberasset;

b) ne ea, quae populus in Comitiis statuisset, rata haberentur, nisi senatus auctoritatem ipse suam foret postmodum additurus, eoque illa ipsa assensione sua comprobaturus,

Respublica nunquam bellis civilibus saevissimis crudelissimisque dilacerata fuisset, nec eo demum redacta, ut unius imperio subjiceretur. At vero licet ea verba in romanam usurpare civitatem, quae dixit olim Cicero in orat. pro L. Flacco c. VII: „Graecorum autem totae respublicae — concionis temeritate administrantur. Itaque — illa vetus Graecia, quae quondam opibus, imperio, gloria floruit, hoc uno malo concidit, libertate immoderata, ac licentia concionum.“ Nec poterat Cicero laudare Comitiorum mores rationemque eam, quae suo tempore in usu erat; laudat quae fuerint aliquando comitia, et haec subjungit maestus verba: „O morem praeclarum disciplinamque, quam a majoribus accepimus, si quidem teneremus! sed nescio quo pacto jam de manibus elabitur.“ Patrum igitur sive majorum suorum tempore hoc fuit lege sancitum, ut, priusquam aliquid ad populum ferretur, de eo antea senatus deliberaret. Et recte quidem! Senatores enim et usu et rerum cognitione erant optime comparati ad reipublicae rationes commoditatesque observandas. Nec unquam aliud alicubi civium

consilium probavit majorem vel constantiam vel prudentiam vel integritatem: amplissimo illi concilio, quod regum vocaverat Cineas coetum, Roma debuit et magnitudinem suam et imperii diuturnitatem. Exemplorum, quae vere antea deliberare solitum fuisse senatum probarent, magna in promptu est copia, qua tamen enumerunda mihi supersedendum esse propterea censeo, quod VV. DD. diligenter illa collegerunt et in ordinem distinxerunt. cfr. Hüllm. *Grundv.* p. 286. *Staatsr.* p. 311. Prout igitur magistratui, qui aliquid ad populum ferre vellet, adstipularetur major quidem senatorum pars, adversaretur autem sive collega, sive altiori qui positi erant loco: prouti cum illo consentirent et senatorum major pars et qui tum temporis fuere senatus principes — aut senatus auctoritas aut consultum perscribi solebat. cfr. Hüllm. *Grdv.* p. 290. Sed ne ullo pacto fieri posset, ut, quae nocitura esset reipublicae, rata haberetur lex, senatui porro concessa erat potestas, ut, quod jam decrevisset populus, id postea vel comprobaret auctoritate sua, vel refringeret. Liv. I, 22: „populus regem creavit, patres fuere auctores.“ Liv. IV, 3: „Numam Pompilium populi jussu, patribus auctoribus regnasse.“ Cic. legg. III, 12: „quum potestas in populo, auctoritas in senatu sit.“ cfr. Schulze Comit. p. 85 nota a). In his locis sermonem esse de comprobatione suffragiorum, exinde satis apparet, quod auctoritas illa postposita est, sicuti fere fuit. cfr. Liv. VI, 42. Liv. I, 17: „Patres deinde, si dignum, qui secundus a Romulo numeretur, crearitis, *auctores fiant.*“ Romanorum idcirco maxime

celebranda est sapientia, quod Senatui tradiderint jus et deliberandi antea et comprobandi tollendive suffragiorum momenta. Quod protuli, non solum pertinuit ad comitia centuriata, locum etiam habuit eoque magis in comitiis tributis. Nec de hac re licet dubitare. cfr. Liv. IV, 49: „nullum plebiscitum, nisi ex auctoritate senatus, ferretur." cfr. Hüllm. *Grundv.* p. 287. Saluberrima qualis fuit res, dico Senatus cum comprobandi tum refutandi ea, quae populus jussisset, arbitrium, sublata est a Q. Publilio Philone dictatore. Ille enim sanxit „ut legum, quae comitiis centuriatis ferrentur, ante initum suffragium patres auctores fierent." Novissimo tempore exstitit Hüllm., qui de illius legis sententia aliter statueret ac vulgo factum est. Non enim de ea auctoritate sermonem esse censet, qua populi suffragia comprobentur, sed de ea potius, qua quid munitum atque exornatum ad comitia primum feratur. In quo V. D. mihi videtur egregie errasse. Quid enim juvat plebem illa lex? Nam etiamsi auctoritatem, ut posset ad populum rogatio ferri, senatus perscribere deberet, poterat tamen deinde comprobationem denegare. Itaque nil video, quod inde lucratus fuerit populus; dictatura vero Publilii Philonis, teste Liv. VIII, 12, popularis et orationibus in patres criminosis fuit, et quod tres leges secundissimas plebei, adversas nobilitati tulit. Porro id ipsum: „ante initum suffragium patres auctores fierent" quid esset, satis credo explicuit Liv. I, 17: „decreverunt enim, ut, cum populus regem jussisset, id sic ratum esset, si patres auctores fierent. Hodieque in legibus magi-

stratibusque rogandis usurpatur idem jus, vi adempta: priusquam populus suffragium ineat, in incertum comitiorum eventum patres auctores fiunt.“ Quem locum Hüllm. etiamsi, sicuti fecit, aliter explicare conatur: credo tamen persuadebit viro doctissimo Cicero, quem videlicet habebit locupletem satis testem, in orat. pro Cn. Plancio c. 3, ubi haec leguntur verba: „Patres apud majores nostros tenere non potuerunt, ut reprehensores essent Comitiorum. Tum enim magistratum non gerebat is, qui ceperat, si patres auctores non erat facti“ e. c. cfr. Liv. VI, 42. Ceterum Licinius ille Macer, cujus or. ad plebem exstat apud Sall., mirum quantum illa comparata ad ingenia instiganda inflammandaque, cum excitare vellet plebejos, ut jura per Sullam amissa restituere conarentur, earum rerum gravissimarum injicit mentionem, quas olim majores sibi vindicaverint. Itaque haec profert: „Ne vos ad virilia illa vocem, quo tribunos pl. modo, patricium magistratum, *libera ab auctoribus patriciis suffragia majores vestri paravere.*“ Cogitat de Philonis lege, quam certe et vi et constantia plebs sustentavisse putanda est. Quum igitur saluberrimarum legum altera, hac Publilia Dictatoris lege, abolita esset: altera quoque, qua consultabant senatores, priusquam rogatio ad populum ferretur, turbulentis illis credo Marii maxime, Saturnini, Sulpicii, Cinnaeque temporibus antiquata est. Quam tamen Sulla in vitam revocavit: narrat enim App. I, 59 ita: „*Εἰςηγοῦντο τε, μηδὲν ἔτι ἀπροβούλευτον ἐς τὸν δῆμον ἐςφέρεςθαι· νενομιςμένον μὲν οὕτω καὶ πάλαι, παραλελυμένον δ' ἐκ πολλοῦ.* Hic vero magna mihi

exoritur dubitatio. Quid? Sulla quum legibus studuit suis omnium rerum arbitrium tradere senatui, num ille vere putandus est Publilii legem reliquisse, qua ante inita suffagia in incertum jam comitiorum eventum deberent patres auctores fieri?

II.

Sustulit provocationem ad populum.

Jam paene dixerim in ipsis civitatis romanae incunabilis cives sibi persuaserant, fieri interdum posse, ut singuli a magistratibus aut adeo a rege (Cic. de rep. II, 31: „provocationem etiam a regibus fuisse, declarant pontificii libri, significant nostri etiam augurales") graviter sibi laesi viderentur, ideoque, quae sententia esset totius populi, vehementer cuperent scire. Praeterea et illud intellexerunt, leges ipsas interdum singulis graves inferre videri injurias, ita ut summum jus summa esse posset injuria (de off. I, 10): nec tamen, ne vis magistratuum auctoritasque imminueretur, ab illis debere descisci. Utrumque igitur si quando fieret, tunc rem totius populi committi voluerunt judicio. Antiquissimum provocationis — hoc enim vocabulum inservit notioni illi significandae — exemplum legimus apud Liv. I, 26, unde tamen colligere liceat, legem illo demum tempore haud primum esse natam, sed ad antiquius etiam pertinere. Tullium enim Hostilium regem Liv. facit ita loquentem: „Duumviros, inquit, qui Horatio perduellionem judicent *secundum legem*, facio." Lex horrendi carminis erat: „— Si a duumviris provocarit, provocatione certato" e. c. e. o. Liv. VIII, 33. Liberae

reipublicae tempore lex de provocatione adversus magistratus ad populum primum lata est a Cn. Valerio Publicola, Liv. III, 55, et tam gravis popularisque visa, ut ab aliis postmodum denuo ferretur. „Vetitum erat, teste Liv. X, 9, eum, qui provocasset, virgis caedi securique necari; si quis adversus ea fecisset, nihil ultra, quam improbe factum, adjecit. Id (qui tum pudor hominum erat) visum credo vinculum satis validum legis." Mihi utilissima lex semper videbatur esse: a magistratibus, qui potestate sua male injusteque uterentur, singuli cives ita defendebantur; magistratus ipsi magis fortasse excitabantur, ut justitiae aequitatique responderent. Tamen a Sulla sublata esse dicitur haec lex, de qua Dion. Hal. VII, p. 448 ita loquitur: „nihil fuit efficacius ad tuendam civitatis concordiam," quam Cic. appellat de orat. II, 48 patronam civitatis ac vindicem libertatis." Sullam autem vere sustulisse provocationem, testatur Cic. in Verr. I, 13, ubi haec leguntur verba: „*Sublata populi romani in unumquemque nostrum potestate.*" Quae enim alia his verbis inesse poterit sententia? At locupleti huic testi haud nos oportet repugnare; contra Sullam illud non temere fecisse, sed gravibus commotum fuisse argumentis, ex ipsius poterimus colligere rerum civilium accurata cognitione. Itaque non debet nos fugere, illa antiqua provocationis lege sane magistratuum potestatem esse imminutam; nec tamen consentaneum legislatori visum fuisse, ut, quum aliis rationibus jam magistratus coërcerentur, hac etiam lege in ordinem cogerentur. Voluit fortasse repugnantiam civium hoc modo in-

ingere, contra obedientes dictisque atque jussis agistratuum obtemperantes reddere, ne ullo pacto vitatis concordia atque interna quies in discrimen lduceretur. Utut fuit, legem de provocatione ullam vere sustulisse et Cicero probat et historia. i judiciorum enim senatoriorum, quae deinde sub- ecuta est, summa infamia, nunquam ad populum rovocasse quempiam legimus.

De sententia legis haec hactenus. Quid autem Asconio illum ipsum, quem tetigi, Cic. locum Verr. I, 13 ita commentante: „*Scilicet sublata ovocatione ad populum, hoc est a tribunis plebis?*" anam, ut hoc primum commemorem, lectionem, iam ego attuli, corruperunt ita recentiores editio- es, ut scriberent „*ad tribunos plebis*": quod men perperam illos fecisse, inde apparet, quod ibuni plerumque dicuntur *appellari*, ad populum ero dicitur *provocari*. Cui dicendi rationi et con- etudini unus Gellius duntaxat quum his refragetur, on est quod magnopere illum respiciamus. A tri- unis pl. dicitur pro: „*per tribunos pl.*," quibus aec injuncta fuit cura. Rem illustrabit Liv. VIII, 3, ubi utraque dictio deprehenditur uno loco onjuncta: „Tribunos pl. *appello* et *provoco* ad opulum." —

Sed jam tuendae lectioni me satisfecisse puto: unc praeterea licebit in medium proferre explica- onem. Quid? Nonne inesse videtur in illis verbis: *hoc est a tribunis plebis*" haec sententia, provo- ationem per alios magistratus factam non fuisse iblatam? Itaque in hunc modum expediamus Ap- ani testimonium: „Hac quoque lege tribunos pl.,

quos summo persecutus est odio atque simultate, coërcuit: sustulit enim Sulla eam, quatenus fieri solita esset per tribunos pl., provocationem: eam, quam alii magistratus ad populum ferrent, integram reliquit. Rem igitur saluberrimam ita haud dempsisset populo, sed cavisset, ne provocatio ferretur ad populum per tribunos pl. In posterum provocatio ad comitia duntaxat centuriata ferri debebat, nec per invisos tribunos pl., quorum jam per se sive nulla, sive admodum rara fuit vis in illa comitia (cfr. Hüll. *Grundv.* p. 295. Schulze Comit. p. 330), sed per alios potius, si quando occasio esset oblata, magistratus. Nisi forte Ciceronis verba: „sublata populi Rom. in unumquemque nostrum potestate" nimis arctis ita circumscribamus finibus, nil equidem video, quod egregie repugnet huic meae explicationi. Nec difficile est Cic. verba in meas traducere partes. Ceterum si provocatio tribunis dempta fuit, eo magis videntur spoliati esse debere jure, quo ad populum accusarent. Exemplum licebit sumere ex Juniana illa admodum invisa causa. Non ad populum Quinctius, sed apud praetorem accusavit. Ante Sullam tamen solitum fuit de corruptis judiciis ad populum ferri: cfr. Cic. de finib. II, 16 — „ita aperte cepit pecunias ob rem judicandam, ut anno proximo P. Scaevola trib. pl. ferret ad populum, vellentne de ea re quaeri." Quid autem multa? Sublatam esse provocationem per tribunos pl. itemque accusationem coram plebe, jam apparet inde, quod tributa Comitia fuerint sublata.

IIII.

Sustulit arbitrium creandorum sacerdotum.

Quod antea contenderam, comitia centuriata fuisse nudata per Sullam dictatorem jure creandorum sacerdotum: id quale fuerit, melius tum intelligemus, si prius meminerimus rerum pristinam conditionem. Quam idcirco ut in memoriam revocamus, consentaneum est; hac tamen lege, ne uberius quam par est singula exponamus, sed nonnisi summa rerum capita delibemus.

Itaque teneamus nonnisi hoc: quattuor potissimum Romae, quae proprie ita appellarentur, floruisse sacerdotum collegia. *Summa* vocat illa Sueton. in Octav. vita c. 100, *collegia*, eademque Dio C. LIII, 1 κατ' ἐξοχὴν τέσσαρας ἱερωσύνας.

Quod ad illorum sacerdotum, qui continerentur in illis collegiis, attinet auctoritatem atque potestatem, habet quidem Cic. *Augures* (ad Div. III, 10) amplissimi sacerdotii collegium: tamen omnes longe superarunt *pontifices*, quorum scitis, ut Liv. ait I, 20, omnia publica privataque Numa subjecit sacra, ut essent, quo consultum plebes veniret, ne quid divini juris, negligendo patrios ritus peregrinosque adsciscendo, turbaretur e. c. Pontificum munera praeter Liv. diligenter enumeravit et Dion. H. et Plutarchus, ita, ut alter alterum supplere appareret, aliaque negotia invicem adderet. Itaque ab illis ad supplendum Livium assumes quae desiderabis. Illorum autem summam in rempublicam potestatem vix aliunde melius puto apparere, quam ex Cic. pro domo sua oratione, in cujus jam principio majores idcirco praedicat orator, quod eosdem (Pontifices sc.)

et religionibus deorum immortalium, et summae reipublicae praeesse voluerint. cfr. c. 38. Praeterea continebantur in quattuor illis collegiis *Quindecimviri*, qui seriori tempore erant, *sacris faciundis*, et *Triumviri epulones* a. u. c. 557 primum facti. Quibus quattuor collegiorum sacerdotibus multa alia erant communia: ad me tamen nihil hic magis pertinet, quam quod non a populo, penes quem fuit magistratus creandi arbitrium, collegia suppleta, sed quod a collegis ipsis singuli cooptati fuerint. Nec vero nobis silentio plane praeterire licet, pontificem maximum solummodo primum ab illa regula exceptum, ideoque a collegio haud fuisse cooptatum: sed jam maturo tempore Romanos propter amplitudinem sacerdotii populo voluisse supplicari. cfr. Cic. in Rull. II, 7, §. 18. Itaque in comitiis centuriatis (cfr. Göttl. de Comit. Herm. p. 124) solitus est creari. Quod quo primum factum sit tempore, id in testimoniorum summa penuria existimare non ausim: acquiescendum igitur est in Livii illo, quo apud istum scriptorem aliud idque aetate prius invenire non contigit, exemplo. Consulibus enim Qu. Fulvio Flacco et Appio Claudio a. u. c. DXLI, comitia pontifici maximo creando habita esse, his ille l. XXV, c. 5 indicat verbis: „Comitia inde pontifici maximo creando sunt habita. Ea comitia novus pontifex M. Cornelius Cethegus habuit.“ At vero placet, ne inhibeatur postea continuata disserendi ratio alieno admodum loco, internam, ut ita dicam, pontificis maximi creandi rationem paullo inspicere accuratius, qua cognita, quid dictator innovaverit, melius intelligemus. Quam-

quam igitur Pontifex max. a populo creabatur comitiis centuriatis; tamen omnes XXXV tribus, in quas divisus suffragia edidit populus romanus, haud suud vocatae: nonnisi XVII tribubus negotium fuit creandi pontificis commissum. Propter religionem enim sacrorum fas non erat per populum creari. cfr. Cic. Agr. II, 7. Quid? Cum per populum creari fas non fuerit, qui factum est, ut liceret per minorem populi partem? Cic. quam attulit hujus rei mirae miram causam, non satisfecit; idcirco, donec probabilior afferatur, facile in Göttlingii acquieverim sententia. cfr. pag. 124. Sanior certe aliquanto est atque paullo prudentior quam illa Reisigii; qui tamen, quoniam propter acumen sagacitatemque omnibus fuit probatissimus, nec per nos laude sua hac defraudetur: „Ne Archimedes quidem potuit melius describere.“ Exinde vero, quod tribubus fuit creandi munus demandatum, apparet, ante annum DXIII novum illum morem non fuisse usurpatum; comitia enim centuriata cum tributis commixta post annum demum DXIII, quo XXXV tribuum numerus est confectus, teste Liv. I, 45, instituebantur. Nec tamen iis, qui quovis modo populi rem vellent promovere, suffecit diu, quod solus pontifex maximus a populo, quamquam a minorum tribuum parte, crearetur. Jam a. u. c. DCVIII exstitit Caj. Licinius Crassus trib. pl., qui, ut in posterum quattuor collegiorum sacerdotes a populo crearentur, legem promulgavit. De qua ita Laelius in Cic. l. de amic. §. 96: „Atque ut ad me redeam, meministis a. Maximo fratre Scipionis et L. Mancino Css. quam popularis lex de sacerdotiis

C. Licinii Crassi videbatur? cooptatio enim collegiorum ad populi beneficium transferebatur. — Tamen illius vendibilem orationem religio deorum immortalium, nobis defendentibus, facile vincebat." Num sola deorum religione, Laeliique factum sit dissuasione, ut lex non perferretur, id in incerto quidem relinquo; attamen causam in eo potissimum deprehenderim, quod Crassus legem suam non eodem modo circumscripserit, atque illa fuit de pontifice maximo, nec ad eam magis accomodaverit. Melius itaque fecit paulloque prudentius Cn. Domitius, qui a. u. c. DCXLIX, Css. C. Mario et C. Fimbria, rem, quae Crasso non admodum prospere successit, denuo tentaret; ita tamen, ut, quemadmodum jam moris fuit de pontifice maximo, non omnes XXXV tribus ad suffragia vocarentur, sed tantummodo XVII. Quod testatur Cic. de leg. agr. II, 7 §. 18 his verbis: „atque hoc idem (sc. quod de pontifice maximo majoribus fuit usitatum) de ceteris sacerdotiis Cn. Domitius trib. pl., vir clarissimus, tulit, quod populus per religionem sacerdotia mandare non poterat, ut minor pars populi vocaretur: ab ea parte qui esset factus, is a collegio cooptaretur." cfr. Suet. Nero c. 2. Vell. Pat. II, 12, unde etiam illud apparebit, uti saepius, ita etiam Domitium non rationibus verisque reipublicae commodis, sed privatis simultatibus offensionibusque ad legem suam ferendam fuisse commotum. Ita igitur, quomodo ille legem circumscripserat, haud poterat quicquam opponi quin perferretur. Quum enim non visum fuisset contra deorum immortalium pugnare et religionem et pietatem, si pontifex maximus (qui

tamen, teste Festo s. v. Ordo sacerdotum, inde erat appellatus, quod maximus habebatur rerum, quae ad sacra et religiones pertinerent, judex) a XVII tribubus crearetur: qui tandem poterat nefas videri, si sacerdotes illo et auctoritate et potestate longe minores iisdem crearentur conditionibus? Ad Cn. Domitii autem legem accuratius describendam vix aliquid puto esse relictum, nisi forte illud: morem antiquum, quo sacerdotes a collegiis cooptari solerent, haud prorsus esse commutatum; contra et in reliquis pontificibus id observatum fuisse, ut primum quidem fierent a populo, deinde vero, ut, qui facti essent, a collegio cooptarentur. Cic. in Rull. II, 7 §. 18. Haec igitur fuit Cn. Domitii lex, in qua tamen, ni ipse egregie fallor, prorsus fallitur Göttlingius V. D., cum diceret pag. 124 illam constituisse aliquid de pontifice maximo. Omnino nihil: contra suam de ceteris sacerdotibus legem plane accommodavit ad eam, quae jam antiquitus invaluerat, pontificis maximi creandi consuetudinem. Jam illud placet, quo tamen per ambages me oportebat tendere, pro vero affirmare, hanc ipsam Cn. Domitii de sacerdotiis legem — quoniam, ut Cic. ait, a causa populi fuit remotissimus — videri sustulisse L. Cornelium Sullam dictatorem. Testem habemus et gravissimum et locupletissimum Asconium Pedianum, qui in argumento divinationis ita refert: „His enim X annis populus Romanus, victore Sulla civilibus bellis, spoliatus est potestate tribunitia — arbitrio creandorum sacerdotum! —

8*

§. 4.

Quantum constituerit Sulla sacerdotum numerum.

De imminuta atque attenuata comitiorum centuriatorum, quae sola reliquit Sulla, potestate quod sciens prudensque praeterierim, nil profecto est: itaque possem quidem ad alteram libelli partem jam transire, nisi e re videretur esse hic subjungere pauca, quae alio loco tractari commode nequeunt. Idcirco nunc, quum de sacerdotibus accuratius egerim, eam placet recensere Sullae legem, qua, qui in quatuor illis pontificum, augurum, decemvirum sacris faciundis, triumvirumque epulonum continerentur collegiis, eorum majorem reddiderit numerum.

Quod primum attinet pontificum atque augurum collegium, si modo vellem acquiescere in eo, cujus Sulla auctor fuit, commemorando argumentisque stabiliendo probandoque numero, brevi res esset succidenda, negotium certe facessere non posset. Uti enim licet Livio teste. At vero etiam placet, qui antea fuerit utriusque collegii numerus addere; nec tamen hic illud Ciceronis obliviscar: In illustri historia nil brevitate illustrius.

Numa Pompilius nonnisi unum creasse videtur pontificem. Liv. I, 20. Tres postmodum additi sunt, eorumque quattuor pontificum numerus integer remansit usque ad a. u. CDLIII.

Romulus, ad quem augures collegii sui referunt originem (cfr. contra Liv. IV, 4), hos constituisse dicitur, eorumque cuique unum adtribuisse tribui. cfr. Cic. de rep. II, 9. Hinc inter augures constat imparem numerum debere esse, aut, si

facile equidem Tacito, qui tamen, sicuti Dion. Hal. IV, 62, Varronem de rebus divinis videtur habuisse auctorem, sociali bello capitolium exustum esse lib. Ann. VI, 12 narranti fidem habuerim, nisi, quod et ipsum non est absurdum, ita statuas, Tacitum habuisse civile bellum inter Marium et Sullam tanquam socialis continuationem. Cui ego explicationi majorem idcirco tribuerim vim, quum ipse Tacit. in Hist. III, 72 videatur eam innuere. Nec Wielandus satis accurate narrat in praefatione Ciceronis epistolis in nostram linguam translatis praefixa, quae de Cic. agit vita (tom. I pag. 37 ad an. u. c. 684), capitolium Sulla dictatore esse combustum. cfr. de Bross. ed. Schlüt. p. 69. Incendium illud uti capitolium, ita etiam absumpsit libros Sibyllinos, licet fuerint teste Dion. H. II, 62 conditi sub terra, in templo Jovis capitolini, in arca lapidea. Sulla magnificentius reaedificandi praeclariusque reficiendi capitolii opus summo aggressus est studio. Tamen, ut ad finem perduceret rem, haud ei contigit, qui, quin fausti cognomen sibi asserendum curaret, propter res fere semper felicissime peractas, haud dubitaret. Cum igitur reficiendo capitolio egregiam navasset operam, cum, quod ad exitum opus perducere non potuisset, idcirco prae summa animi perturbatione saepenumero exclamaret, fortunam, suam semper et ubique fautricem, id solummodo sibi denegasse, ut ipse inauguraret atque consecraret capitolium Jovis optimi maximi, cfr. Plin. H. N. VII, 44; Tacit. Hist. III, 72: nonne inquam Sulla, ut nihil deesset capitolio, quo antea exornatum fuisset, etiam Sibylli-

nos versus undique congessisse putandus est? Equidem pro vero id affirmaverim, ideoq. Dion. verba IV, 62: „oracula vero, quae nunc exstant, ex variis locis sunt comportata“ e. c., ad Sullam potissimum referenda esse facile mihi persuasi. Quae si vera habebuntur, non est quod amplius dubitemus Sullam fuisse praeterea eum, qui decemviris Sibyllinorum versuum curae constitutis quinque adderet, ut essent quindecimviri. Ut enim, quod testatur Tac. in Ann. VI, 12, vera, quantum humana ope fieri posset, a supposititiis discernerentur, omnino plurium judicio opus esse videbatur. Deinde etiam sacerdotum augendorum haec esse poterat causa, quod cum collegio majorem ita conciliare auctoritatem, tum versus ipsos Sibyllinos eo tutiores esse vellet, quo pluribus illorum cura custodiaque demandaretur. Postremo juvat commemorare, a Q. Lutatio Catulo Cs. Capitolium esse consecratum (cfr. praeclarum Cic. locum in Verr. Act. II Lib. IV, 31). Hinc inscriptio, quae veteris Capitolii loco inventa olim est, quaeque haec continet:

Q. Lutatius Q. F.
Q. N. Catulus Cos.
Substructionem Et
Tabularium Ex S. C.
Faciundum curavit.

Restat ut meum qualecunque subjungam judicium, num vere Triumviris quoque Epulonibus, quantus fuit a principio collegii numerus (Cic. Orat. III, 19 Liv. XXXIII, 44), Sulla addiderit quattuor, ut essent septem. Sunt qui hoc contendant,

sicuti Adam, Antiq. tom. I pag. 547, et Oberlin; cfr. Reiz Antiq. pag. 514: mihi vero, quamquam judicium hoc meum non habuerim pro explorato, quoniam praeterea nullum veterum scriptorum innotuit testimonium, plane aliter videtur. Sacrarum coenarum primum pontificibus erat cura damandata. Sed procedente tempore, cum coenae crebrius instituerentur, haud muneribus negotiisque amplius illi poterant sufficere. Hinc tanquam adjutores praebiti Epulones Triumviri. Sacrae hae epulae tam fuerunt opiparae, ut in proverbium adeo abirent. cfr. Hor. Od. II, 14, 28. Macrob. II, 9. Mart. XII, 48, 12. Credo numerum illorum epulonum semper fuisse auctum propterea, quod epulae sacrae crebriores fierent, lautiusque semper instituerentur. Quod tamen per Sullam factum esse, haud facile crediderim, qui in memoriam mihi revocem, fuisse illum legis sumptuariae auctorem, qua, teste Gell. N. A. II, 24 §. 11, cautum erat, „ut Kalendis, Idibus, Nonis, diebusq. ludorum et feriis quibusdam sollemnibus, sestertios tricenos in coenam insumere jus potestasque esset, ceteris autem aliis diebus omnibus non amplius ternos.“ Haec Gellius. Quoniam igitur ex Sullae voluntate coenae institui debebant simpliciores, idcirco non crediderim, amplificato opus fuisse collegio.

Sed quandoquidem mentionem injeci legis illius sumptuariae, quam tamen non minus dicitur migrasse quam ipsius illam de exsequiarum nimio splendore amputando, Plut. S. XXXV, nec credo alias poterit commode accuratius tractari, verbo Macrobium, qui illius legis summam prorsus aliam

dicitur constituisse, commemorabo. Saturnalium enim libro III, 17 narrat, non conviviorum magnificentiam fuisse prohibitam, sed minora etiam eduliis pretia imposita. Tamen (quod Reiff non vidit, *Gesch. der Bürgerkr.* II, 25) bene possunt et Gell. et Macrobius inter sese conciliari, nec quod alter refert, alterius repugnat testimonio. Imo minora eduliis, quamvis lautissimis offulis, deliciarum paene incognitis generibus, imposita pretia eam videntur habuisse vim, ut lex observata esset facilior. Recte enim Pigh. in Ann. ad a. u. DCLXXII dicit: deliciae istae in foro venalium propter vilitatem non comparebant, spe lucri praecisa obsoniorum opiparorum artificibus conquisitoribusque.

Sed jam satis de lege sumptuaria. Ejus commemorandae qui ansam praebuerunt, Epulones, ergo non videntur Septemviri (qui v. c. commemorantur in l. I Gell. c. 12; Lucan. I, 602) exstitisse per Sullae aliquam legem, quamquam certi aliquid de hac re equidem statuere vix ausus fuerim.

LIBER II.

DE SENATU.

Flacci interregis lex, qua Sulla Dictator constitueretur, haec fere erat, ut non ad definitum aliquod tempus eligeretur, sed usque dum res urbanas atque italicas totumque imperium, continuis bellorum procellis concussum, ordinasset confirmassetque. App. I, 98. Cic. de legg. I, 15 in Rull. III, 2. Nec profecto voluit illud sibi munus frustra esse demandatum; vere studuit ut ad quietam adduceret rempublicam conditionem. Fecit idcirco, quod maxime videretur illud consilium posse adjuvare: plebis potestatem infregit, nec id passus est, ut in posterum temerariis repentinisque civitas regeretur plebis voluntatibus et consiliis. Quid? Rectene fecit, an non? — Mihi autem nihil relictum esse puto ad rationem, qua in inferiori populum collocaret loco, illustrandam. Sulla tamen quum alterum ordinem valde infringeret, reipublicae sanandae minime videbatur plane respondisse proposito; debebat contra alteri cuidam majorem conciliare auctoritatem, ut ex hujus potissimum arbitrio respublica regeretur. Nimirum regium imperium ipse

non affectatus est; contra dictatura praeter omnium, maxime Lepidi (cfr. Sall. fragg. or. Lep. §. 4) calumniatoris exspectationem, sese abdicavit, privatus in villas secessit, ibique literarum studiis óperam navavit. Quid ergo? Cuinam tradidit ordini majorem civitatis regundae partem? Senatus auctoritatem atque potestatem auxit, ejusque omnia subjecit arbitrio ac ditioni. In quo a Sulla discrepavit maxime Caesar, qui, quum rex vellet exsistere, et senatus et plebis potestatem sibi arrogavit, nec quidquam nisi per sui ipsius voluntatem agi patiebatur. Qui ut eo facilius posset senatum deprimere, non ea, qua par erat, versatus est severitate in eligendis senatoribus, sed eos etiam in curiam recepit, qui ne romani quidem essent generis. Hinc illa, sicuti Sueton. ait c. 80, vulgo canebantur:

Gallos Caesar in triumphum ducit, idem in curiam,
Galli braccas deposuerunt, latum clavum sumpserunt.

Itaque aliam plane Sulla ingressus est viam: senatum per plebem superbientem, per tribunos pl. impudentissimos et insolentissimos ad inferiorem omnino depressum conditionem adduxit ad laetiorem eique eam conciliavit auctoritatem, qua ad secundum usque exornatus erat punicum bellum. Eam constituere conatus est curiam, cui ex mea sententia vel maxime Romani imperii debetur gloria: haec fuit, per quam, ut Virgilius ait, populus romanus tam late exstitit rex. Licet enim, ut jam Ciceronis ipsius utar verbis (de legg. III, 14), videre — qualescunque summi civitatis viri fuerint, talem civitatem fuisse. Quid autem? Nonne senatus ita plerumque se gessit, ut per ma-

gnum liberae reipublicae temporis spatium laudibus satis celebrari non posset? Nec id nos valde mirari oportet: fuit enim, ut ita dicam, senatus consilium sempiternum: nimirum eaedem fere semper obtinuere, quas sequerentur senatores, negotiorum rationes. Nam qui adscriberentur senatui, ii, nisi de cogitandi agendique ratione turpe aliquid innotesceret, senatores fuere per omne vitae tempus: nunquam idcirco concilium commutatum est radicitus novis adsciscendis; contra qui reciperentur, ii sese plerumque accomodavere ad longe majorem senatorum partem, illorum agendi sentiendique rationi sunt adsuèfacti, eandemque postmodum plane sequebantur. Porro nonnisi ii exstitere senatores, qui, quum magistratibus jam essent functi, opportunitatem habuere rerum civitatisque satis accuratam sibi conciliandi cognitionem. Itaque Cic. pro Sext. c. 65 dicere potuit: aditum in illum summum ordinem civium industriae patere ac virtuti: nam magistratus, ex quibus senatus constabat, ut loco suo digni eligerentur, nullo tempore non enixe Romani curavere. Quid autem pluribus persequar, senatum Romanorum vere propter internam ejus conditionem praeclare sese habuisse et optime de civitate promeruisse? cfr. Hüllm. *Grdv*. p. 405. Acquiescamus in Cic. testimonio, qui, quid sit senatus et quid esse debeat, non raro indicat. pro harusp. resp. c. 27 appellat principem salutis mentisque publicae; pro Sext. c. 65: „a majoribus nostris sapientissime institutum, ut consilium senatus reipublicae praeponerent sempiternum — senatum reipublicae custodem, praesidem, propugnatorem collocaverunt.“

Dion. Hal. V p. 331 ed. Sylb. civitatem similem esse uni ait homini, in quo senatum animus, plebem corpus referat e. c.

Hunc igitur ordinem ad pristinam suam formam conditionemque studuit Sulla adducere: nec idcirco crediderim legislatorem opprobrio esse ac vitio obnoxium. Senatum autem non multum abfuisse, quin et vi et in rempublicam potestate plane privaretur, quis tandem neget, nisi in istius temporis historia a Gracchis inde usque ad Sullae dictaturam plane fuerit hospes? Abstinere idcirco, cum cuilibet historiam inspicienti argumenta ultro sese offerant, poterimus ab exemplis colligendis. Nonnisi legem Saturnini placet commemorare, unde, quemadmodum senatus fuerit accisa potestas, elucescet. Dico eam de dividendis agris, cui App. teste I, 29 hoc praeterea adjectum erat, „ut, si plebs eam scivisset, senatus intra quintum diem in eam juraret: qui recusaret jurare, senatu moveretur et insuper talentis viginti mulctaretur." Itaque ne licuit quidem singulis senatoribus, in sua ipsius, invita plebe, perseverare sententia!

Quid igitur primarium fuit ad senatum augustiorem ampilioremque reddendum? Oportuit dictatorem illud facere, quod olim fecerat J. Brutus, libertatem romanam qui primus condidit regesque Roma expulit. Nec plane dispar fuit utriusque ratio. Tarquinius Superbus teste Liv. I, 49 „Patrum praecipue numero imminuto, statuit nullos in patres legere, quo contemtior paucitate ipse ordo esset." „Contra Brutus, ut Liv. refert II, 1, quo plus virium in senatu frequentia etiam ordinis

faceret, caedibus regis deminutum patrum numerum, primoribus equestris gradus lectis, ad trecentorum summam explevit.“ Cum Tarquinio Superbo qui compararentur, dignissimi sunt Marius, Cinna, reliquique illorum factioni addicti. Verbis exprimi non potest, quantopere in senatum illi saevierint: senatores tanquam rabidae bestiae dilacerarunt atque mactaverunt. Quod Cic. per Marium factum esse, cui tamen alias mirum quantum favet et laudibus eum paene evehit ad deos, in orat. post red. 15 his verbis fatetur: „*Marius reditu suo senatum cunctum paene delevit.*“ Vividissimis coloribus depinxit Florus nefandas illas Senatus caedes, commoventes, quicunque non prorsus carent humanitatis sensu, summa omnes indignatione. Loquitur enim ita: III, 21: „Tum Marius juvenis et Carbo consules — in antecessum sanguine senatus sibi parentabant: obsessaque curia, sic de senatu, quasi de carcere, qui jugularentur educti.“ cfr. or. Phil. Cs. in fragg. Sall. §. 11 ed. Orelli. Habebimus idcirco facile fidem Appiano, qui (I, 100) quo Sulla dictator exsisteret, eo tempore ad miram paucitatem redactum esse Senatum dicit. Nil igitur Sullae nec fuit quidquam nec esse potuit gravius faciundum, quam ut suppleret senatorum valde imminutum ordinem. De quo igitur, qui per Sullam exstitit, amplificato Senatus numero jam mihi dicendum est, cui quidem muneri ut sufficere posse videar, disseram necesse est

1) quemadmodum Sulla auxerit Senatorum numerum,

2) quantum constituerit numerum.

Unde illud apparebit

a) aliter auxisse videri, quum imperium ei pri
esset demandatum,

b) aliter, quum dictator dictus reipublicae r
prorsus ratione constituendae animum a
caret,

c) Sullam non solum supplevisse videri prist
qui fuisset senatorum numerum, sed eti

d) ultra pristinum modum auxisse.

§. 1.

Quemadmodum Sulla auxerit senatorum ad mira paucitatem redactum numerum.

a) Auxit aliter, quum imperium contra Mith
tem ei esset demandatum,

b) aliter, quum dictator reipublicae constitue
animum applicuisset.

Quidquid in republica Sulla innovaverit, quid novi constituerit, nil, opinor, per se con randum est, contra rerum pristinum statum in moriam revocaveris necesse est, si voles pe Sullae acta cognoscere. Necessitatem idcirco impositam esse existimo, ut, quemadmodum dictatorem nostrum senatus solitus esset sup ex veterum monumentis, quantum fieri licebit, am. At vero difficultatibus nos maxime praepeditos bene equidem sentio: si de ulla alia re altum apud veteres scriptores silentium profecto est. Itaque veniam facile impetrab forte minus, quae proferam, satisfacient. Nim ubi veterum desunt testimonia, ibi caligo tenebrae!

Quid? Ne de illa quidem constat inter viros ...tos ratione, qua primum Romulus, ad quem si... aliarum rerum primordia, ita etiam senatus re...ntur initia, constituerit patrum sanctum concili... Nam quibus vel maxime fidem habere par est, ...ncipes historiae romanae dico, Livium et Diony... Hal., rem diverso produnt modo. Etenim ille, ... senatum constituerent, regem Romulum curasse, ... quos ipse vellet, eos in concilium narrat rece...se. I, 8. Contra Dionys. refert, Romulum non...i unum elegisse, cui, si quando ipse propter ...lla abfuturus esset gerenda, traderet rerum do...esticarum regimen; ternos vero tribus, quae tum ...nt, tribubus, totidemque singulis curiis creandos ...liquisse. Praeterea cum Sabini in civitatem ad...iscerentur, ex his centum viros, curiatim suffra...is adlectos, veteribus adscripsisse senatoribus Ro...ulum Tatiumque regem idem auctor est Dion. H. ... p. 111 Sylb. Nec vero, quemadmodum ii, qui ...quebantur, reges senatum suppleverint, equidem ...istimare ausim: itaque in re, sicuti est, obscu...ssima suffragari me oportet Festo s. v. Praeteriti ...natores. Refert enim ita: „P. S. quondam in ...pprobrio non erant: quod ut reges sibi legebant ...t. sublegebant, quos in concilio publico haberent, ...ta post exactos eos Consules quoque et tribuni mi...itum consulari potestate conjunctissimos sibi quos...ue patriciorum et deinde plebejorum legebant.“ Quamquam autem Festus accedere videtur Livio, ...ui a regibus senatores lectos esse refert (IV, 4), ...quidem tamen Dionysio fidem habuerim affirmanti, Romulum tribubus curiisque senatores creandos re-

Unde illud apparebit

a) aliter auxisse videri, quum imperium ei primum esset demandatum,

b) aliter, quum dictator dictus reipublicae nova prorsus ratione constituendae animum applicaret,

c) Sullam non solum supplevisse videri pristinum qui fuisset senatorum numerum, sed etiam

d) ultra pristinum modum auxisse.

§. 1.

Quemadmodum Sulla auxerit senatorum ad miram paucitatem redactum numerum.

a) Auxit aliter, quum imperium contra Mithridatem ei esset demandatum,

b) aliter, quum dictator reipublicae constituendae animum applicuisset.

Quidquid in republica Sulla innovaverit, quidquid novi constituerit, nil, opinor, per se considerandum est, contra rerum pristinum statum in memoriam revocaveris necesse est, si voles penitius Sullae acta cognoscere. Necessitatem idcirco mihi impositam esse existimo, ut, quemadmodum ante dictatorem nostrum senatus solitus esset suppleri, ex veterum monumentis, quantum fieri licebit, eruam. At vero difficultatibus nos maxime esse praepeditos bene equidem sentio: si de ulla enim alia re altum apud veteres scriptores silentium, hic profecto est. Itaque veniam facile impetrabo, si forte minus, quae proferam, satisfacient. Nimirum ubi veterum desunt testimonia, ibi caligo atque tenebrae!

Quid? Ne de illa quidem constat inter viros doctos ratione, qua primum Romulus, ad quem sicuti aliarum rerum primordia, ita etiam senatus referuntur initia, constituerit patrum sanctum concilium. Nam quibus vel maxime fidem habere par est, principes historiae romanae dico, Livium et Dionysium Hal., rem diverso produnt modo. Etenim ille, qui senatum constituerent, regem Romulum curasse, et quos ipse vellet, eos in concilium narrat recepisse. I, 8. Contra Dionys. refert, Romulum nonnisi unum elegisse, cui, si quando ipse propter bella abfuturus esset gerenda, traderet rerum domesticarum regimen; ternos vero tribus, quae tum erant, tribubus, totidemque singulis curiis creandos reliquisse. Praeterea cum Sabini in civitatem adsciscerentur, ex his centum viros, curiatim suffragiis adlectos, veteribus adscripsisse senatoribus Romulum Tatiumque regem idem auctor est Dion. H. II p. 111 Sylb. Nec vero, quemadmodum ii, qui sequebantur, reges senatum suppleverint, equidem existimare ausim: itaque in re, sicuti est, obscurissima suffragari me oportet Festo s. v. Praeteriti senatores. Refert enim ita: „P. S. quondam in opprobrio non erant: quod ut reges sibi legebant et sublegebant, quos in concilio publico haberent, ita post exactos eos Consules quoque et tribuni militum consulari potestate conjunctissimos sibi quosque patriciorum et deinde plebejorum legebant." Quamquam autem Festus accedere videtur Livio, qui a regibus senatores lectos esse refert (IV, 4), equidem tamen Dionysio fidem habuerim affirmanti, Romulum tribubus curiisque senatores creandos re-

liquisse. Nam cum senatum ex Cic. sententia constituerent Romani reipublicae custodem, praesidem, propugnatorem: nonne illius temporis rationi, quo diversae partes nondum, ut ita dicam, coaluerant in unum quasi corpus, nonne inquam consentaneum fuit, ut quaeque tribus, quaeque curia haberet in senatu suos ipsius patronos? Hüllm. *Grdv.* p. 23. Quod temporis decursu eo minus videbatur esse necessarium, quo magis diversae partes invicem sese commiscerent, unumque populum constituerent. Praeterea longum fortasse videbatur, curias congregare singulas, ut in unius alteriusve senatoris demortui locum alium quendam eligerent. Contra quum senatorum numerus casu quodam ita deminutus esset, ut permulti eligi deberent in illum, tunc sane fieri poterat, ut comitia convocarentur. Quod Cic. indicare videtur in orat. pro Sext. c. 65: „Majores ita magistratus annuos creaverunt, ut consilium senatus reipublicae praeponerent sempiternum: *eligerentur autem in id consilium ab universo populo.* Nisi forte Ciceroni idcirco licuisse tibi persuadeas his potissimum verbis uti, quod ex magistratibus senatus constaret, magistratus autem ab universo populo creari essent soliti! cfr. pro Cluent. c. 56; pro domo sua c. 31; post redit. II, 1. At vero ne Festus s. v. Praeteriti senatores nos in fraudem inducat. Quod enim dicit consules in senatum conjunctissimos sibi quosque legisse, hoc non ad omne tempus pertinet, contra nonnisi illud respexit Festus, quo censores nondum inventi essent. De quo magistratu non est quod hoc loco accuratius agam; vereor ne nimis longe

a proposito haec me abductura sit disputatio. Sufficit illud pro vero affirmare, censorum arbitrio fuisse plane relictum, quem potissimum in senatum reciperent. Quod indicat Gell. III, 18: „qui nondum a censoribus in senatum lecti erant, senatores non erant.“ et Valer. Max. II, 2 §. 1: „ignarusque, nondum a censoribus in ordinem senatorum electum, quo uno modo aditus in curiam dabatur.“ In more autem positum erat censoribus, ut senatores singulos ex tabulis recitarent publice; quos in recitando praeterirent, ii a senatu exclusi esse existimarentur. cfr. Cic. pro domo c. 32: „L. Philippus censor avunculum suum praeteriit in recitando senatu.“ Liv. 38, 28. 39, 42. Zonar. p. 29 b. ἐξῆν αὐτοῖς — ἐς τὰς φυλὰς, καὶ — ἐς τὴν γερουσίαν ἐγγράφειν — τοὺς δ' οὐκ εὐβιοῦντας ἀπανταχόθεν ἐξαλείφειν. — Censores eorumque munera quicunque volet accuratius cognoscere, adeat ille Hüllm. St. §. 49, imprimis autem classicum locum apud Cicer. in or. pro Cluent. c. 42 e. c. Censores cum, ut Liv. dicit XXIV, 18, ad mores hominum regendos animum adverterent, haud raro nimia quadam usi sunt severitate, imo dicam asperitate atque inhumanitate. Nec tamen illa censorum asperitas senatui ipsi fuit detrimento; hinc enim factum est, ut cum ii reciperentur, qui vel maxime commendati essent omnibus propter morum castitatem integritatemque, tum, qui jam recepti essent, eo majorem agerent curam, ne reprehensionis vituperiique praeberent occasionem. Nam sicuti penes censores erat, quos vellent in senatum recipere, ita etiam licuit, quicunque displi-

ceret, eundem removere a venerando illo regum, quibuscum Cineae videbatur comparari debere senatus, coetu. cfr. Hüllm. St. §. 49 pag. 246. Quid autem? Qui tandem Romani ferre poterant immensam illam, quae vere erat censorum potestatem? Censores plerumque (aliter Liv. XXVII, 11) ii creabantur, qui, quum jam functi essent et praetura et consulatu, satis omnibus commendarentur, nec quibus ulla inhaereret macula. Praeterea potestas quodammodo fuit circumscripta: nimirum haud licuit illis, etiamsi voluissent, de infima plebe nec de foro quicunque in manus inciderent, senatui inserere; contra fuere, quae in senatore non deberent desiderari. Nec consulibus olim liberum fuit senatorum creandorum arbitrium. Minime vero!

Jam inde a primis civitatis romanae temporibus non cuilibet patuit curia, sed iis duntaxat, quorum vel aetas, vel genus, vel alia hujusce generis viderentur summo respondere patrum concilio. Quarum rerum gerere oportuit curam et reges et consules, nec minus censores. Non alienum esse puto monere verbo de iis, quae diversis temporibus requisiverint ii, penes quos fuit potestas, in senatoribus eligendis. Quod quum alii jam saepenumero fecerint, equidem hic non repeterem, nisi viri docti praeteriissent silentio, diversis temporibus diversa fuisse in senatoribus requisita. Rationem habuere aetatis, generis, census, ordinis, magistratus.

Quis dubitabit *aetatis* primum haberi solitam fuisse rationem, qui, unde vocabulum senatus derivetur, consideraverit atque perspexerit? Longior aetas antiquissimis illis temporibus vel maxime prae-

bebat rerum diuturno usu ingenium excolendi occasionem. Quum igitur senatus institueretur, senes potissimum eligebantur, qui consultando reipublicae prodessent. Hinc. Sall. Cat. 6: „Delecti, quibus corpus annis infirmum, ingenium sapientia validum erat, reipublicae consultabant.“ Ovid. Fast. V, 63:

Nec nisi post annos patuit tunc curia seros.

cfr. Cic. de sen. 6; de rep. II, 28. Dion. Hal. II p. 85 et 86: qui per aetatem maxime saperent.

In ipsis igitur civitatis Rom. primordiis maxime senilis aetatis rationem esse habitam, equidem pro vero affirmaverim: postmodum autem iis praecipue patuit curia, qui magistratibus jam essent functi. Quaestura primus gradus honoris, quem ascendere poterat, qui XXXI annos esset natus. cfr. Ern. Cl. Cic. s. v. Annal. leges.

Omnis in civitate ordinum discriminis auctor Tullus Hostilius fuit, quippe qui expugnatarum urbium incolas Romam reciperet, nec vero in curias illas nec in tribus distribueret. Nunc primum *generis* rationem haberi solitam fuisse crediderim. Aetatis ratio commutata postea; generis plane evanuit, quum patriciatus interiisset, nobilitas enata fuisset.

De *censu* quid dicam, incertus equidem haereo. Quid enim? Ex censu num senatorem factum esse contendam, quum illud me non fugiat, senatores subinde demortuos propter rei familiaris angustias publice efferri debuisse? Liv. II, 16, 33. At vero censum non prorsus fuisse omissum, alii multi declarant scriptorum loci. Itaque censum, quo

omnis nitebatur, cujus Serv. Tullius auctor fuit, reipublicae forma, valuisse quidem concesserim; nec tamen primarium, sed secundarium, ut ita dicam, obtinuit locum.

Porro legimus *ordinis* quoque in legendis senatoribus habitam esse rationem. Quod nihil profecto aliud significare potest, nisi ordinem equestrem praestitisse ordine plebejo. Nec est quod de hac re dubitemus, qui meminerimus Liv. ita dicentis XLII, 61, *equites Rom. principes juventutis, equites seminarium senatus; inde lectos in patrum numerum consules, inde imperatores creant.* Praestare ordinem equestrem plebejo, ratum habuit L. Jun. Brutus, quem narrat Liv. II, 1 Patrum numerum, primoribus equestris gradus lectis, — supplevisse. Ad hunc morem Sullam sese accomodasse infra elucebit. Aetatis, Generis, Census, Ordinis haberi rationem in senatu et constituendo et cooptando, explicatur cum temporum conditione, tum civitatis romanae peculiari forma ac ratione. Ubicunque autem senatus quidam reipublicae praeerit, semper ille ex *magistratibus* optime constabit. Quae ratio invaluit quoque Romae, et constanter ibi est observata. Cic. de Legg. III, 18, 41 senatori necessarium esse dicit nosse rempublicam. Quis autem meliorem habet rempublicam cognoscendi occasionem, quam qui magistratu quodam fungitur, cuique demandatum est munus gubernandae aliqua ex parte reipublicae? Itaque bene sibi consuluerunt Romani, qui senatum ex magistratibus potissimum vellent constare. In re, sicuti est, apertissima pauca nonnisi hic placet subjungere testimonia ve-

terum scriptorum. Liv. XXII, 49: „qui eos magistratus gessissent, unde in senatum legi deberent." Mori, qui Romae invaluit, congruenter praecipit Cic. de legg. III, 3 §. 10: „Omnes magistratus auspicium judiciumque habento, ex queis senatus esto." cfr. Val. Max. II, 2 §. 1. Hüllm. St. p. 244. Dio. C. 54, 26. 37, 46. 59, 9: „καί τισιν αὐτῶν (τῶν ἱππέων) πρὶν ἄρξαι τινὰ ἀρχὴν, δι' ἧς ἐς τὴν γερουσίαν ἐσερχόμεθα. e. c."

Quoniam Quaestura, ut Cic. ait in Verr. I, 4, primus gradus honoris est (cfr. Ascon. Ped. in Verr.: „Prima senatoris administratio est quaestorem fieri et in provincia curam gerere pecuniae publicae in usus diversos erogandae), honores autem, id est magistratus, viam in curiam muniunt, inde patet quaesturae legitimum aetatis annum eundem fuisse frequentando senatui. At vero quisnam ille fuerit, adhuc sub judice lis est. Carolus Sigonius, magnum illud olim Italiae decus et ornamentum, quaesturae annum legitimum habet XXVII. cfr. de ant. jure civ. rom. p. 86 ed. Paris. Mihi vero justo maturior semper ille annus videbatur, qui gravissimo patrum concilio parum profecto respondet. Itaque equidem non dubito, quin Ernestio V. D. adstipuler, qui in Ind. leg. s. v. Annal. eum annum, quo quis quaestura possit fungi, habet XXXI. Etenim Ciceronis potissimum confisus est auctoritate, qui suo anno omnes gessisse gloriatur honores. Praeterea haud scio an sumi possit argumentum ex illo temporis spatio, quod inter reliquos intercedit magistratus. Aedilitatis enim capessendae annus fuit tricesimus septimus,

praeturae quadragesimus; consulatui annus Villia lege constitutus erat quadragesimus tertius. Triennium fere inter singulos magistratus interest, quod inter quaesturam aedilitatemque idcirco duplicatum esse videtur, ut ne nimis brevi tempore posset aliquis magistratuum percurrere cursum.

Verum sufficiant haec ad eam rationem, qua ante Sullam senatus et constitui et suppleri fuerit solitus, illustrandam. Quemadmodum enim et quales potissimum recepissent in curiam, quibus illa potestas erat concessa, ut appareret, satis dictum esse puto. Itaque jam ad Sullam transeam, quem diverso tempore diverso modo senatum supplevisse Appianus maxime auctor est.

a) Jam pridem Sulla — nam quale fuerit illud tempus, quo primum suppleverit senatum, exponam necesse est — belli gloria valde floruit, nec ulli, nisi forte Mario cessit, cui quantus tributus fuerit honor propter bellum contra Cimbros Teutonesque felicissime sane gestum, verbis exprimi nequit. Verum utriusque conditio commutata prorsus sociali bello. Marius enim *οὐδὲν ἀποδεῖξαι μέγα δυνηθείς*, ut Plut. dicit c. VI, famam suam senescere vidit, ideoque imperio sese abdicavit. Quanto vero et majora et illustriora perpetravit Sulla, cujus quanta nomini accessit gloria et honor! Quid mirum idcirco, si Romani Sullae quam Mario imperium contra Mithridatem, Ponti regem bello acerrimum, — odio in Romanos Hannibalem (Vell. Pat. II, 18) maluerint tradere? Marium inexplebilis honorum fames, tanquam furiae ardentibus facibus, exagitare videbatur. Vix Sulla ad exercitum

sores factum illud sibi persuadeat. cfr. de jure civ. rom. p. 84 ed. Paris. Erravit vir doctissimus mihique probatissimus, nec satis rerum percepit conditionem. Etenim ex omni optimorum virorum numero Sullam supplevisse senatum ait Appianus, censores autem adstricti fuere magistratibus legendis. Quorum quum non sat multi essent in promptu, censores muneri senatus supplendi non suffecerunt, sed alii cuidam negotium debebat tradi. De qua re poterat sane Sigonium docere Livius l. XXIII c. 22 et 23. Senatorum magnus numerus caesus pugna Cannensi, nec senatui reficiendo sufficiebant qui tum aderant magistratus. Patrum igitur concilium ut suppleretur ab alio quodam magistratibus duntaxat non ita adstricto, Dictator dictus qui muneri responderet. cfr. Hüllm. *Grdv.* pag. 400. Quemadmodum suppleverint consules senatum, nimirum ἐκ τῶν ἀρίστων ἀνδρῶν, hoc per analogiam bene explicatur M. Fabii Buteonis Dictatura, qui in senatoribus legendis similiter versatus est: quod autem consules reficiendi senatus sibi arrogaverint munus, illud nos non magnopere offendet, qui meminerimus verborum supra ex Festo allatorum.

b) Celerius jam in medias res nobis licet progredi. Quo enim modo Sulla secundum suppleverit deinceps senatum, quis nesciat, quem fugiat? Mithridate victo, civilibus adversariis repressis, Sulla victor cum victore exercitu Romam ingressus est, ibique dictatorem sese ipsum dici ipse curavit. Voluit enim civilibus armis concussum debilitatumque civitatis statum confirmare et quietam rerum conditionem restituere. Inde reipublicae constituen-

dae fecit initium, quod senatorum numerum ad miram paucitatem redactum, ut adderet vires huic venerando principi ordini, suppleret et augeret. Nec vero hic quaerendum est, quomodo potuerit numerus tantopere imminui, quum tamen paullo ante senatum Sulla refecisset et in integrum restituisset. Causa in propatulo est. Declarat. Vell. Pat. II, 22 his verbis: „Mox C. Marius pestifero civibus suis reditu intravit moenia — neque licentia in mediocres saevitum, sed excelsissimi quoque atque eminentissimi civitatis viri variis suppliciorum generibus affecti.“ — Ne multa! App. I, 100 ita refert: „*Αὐτῇ δὲ τῇ βουλῇ, διὰ τὰς στάσεις καὶ τοὺς πολέμους πάμπαν ὀλιγανδρούσῃ, προςκατέλεξεν, — ἐκ τῶν ἀρίστων ἱππέων, ταῖς φυλαῖς ἀναδοὺς ψῆφον περὶ ἑκάστου.* Liv. Ep. l. LXXXIX ita: „senatum ex equestri ordine supplevit.“ Ad veterem igitur Sulla sese accomodaverat consuetudinem, qua, si quando plures in senatum essent recipiendi, equites potissimum recipirentur. Ut Jun. Brutus senatum supplevit ex equestri ordine, ita fecit quoque, qui cum illo in eadem fere erat causa, Sulla dictator. Quod sane est mirandum; nam teste Cic. pro Rosc. Amer. 48 et pro Cluent. 55 equitibus fuit infestissimus: steterant enim pro Cinnanis partibus contra se. cfr. Ascon. in or. contra C. Anton. et Catil. competitores p. 85 ed. Melanchth. Quum autem Comitiis centuriatis concederet senatores ex ordine equestri suffragiis legendi potestatem, nonne in eo paene sese praebuit popularem? Quod si vero ex historia quaerimus, ad cujusnam potissimum hic sese composuerit aut temporis aut viri

cujusdam exemplum, frustra, opinor, nos quaesiverimus. Nisi forte illud lubet afferre in eoque analogiam quandam placet deprehendere, Romulum, quemadmodum testificatur Dion. Hal., senatum ex ipsius populi suffragiis constituisse videri. At vero, quum, quomodo suppleverit, vel potius supplere curaverit Sulla dictator senatum, satis sit a me explicatum, num illud jam necesse est, ut ex Sullae ingenio, nec minus ex consilio quod habuerit in constituenda republica, probem vere senatum ex equestris ordinis commendatissimis videri supplevisse viris, nimirum ut refutem et redarguam primum Dionysium ita referentem: V, 77 „βουλήν τε γὰρ ἐκ τῶν ἐπιτυχόντων ἀνθρώπων συνέστησε“ aut Sallustium, cujus in Catil. conjur. c. 37 permira haec sunt verba: „multi memores Sullanae victoriae, quod ex gregariis militibus senatores videbant.“ Quid? Quum quasi in medio reipublicae constituendae consilio hanc nobis agnoscere liceat supremam legem atque regulam, ut populi potestatem infringeret, auctoritatem contra senatus atque dignitatem quam posset maxime augeret et amplificaret, ecquis crediderit unquam, eundem Sullam sive primum quemque sibi obvium factum, sive, quod sane multo magis nos obstupefacit, gregarios milites in sanctissimum patrum recepisse consilium, cui tamen administrandae reipublicae tribuere vellet arbitrium? Nihilne praeterea nec Appiani nec Livii valet in re apertissima auctoritas? In qua utraque acquiescere nos oportet bona illorum scriptorum alias gravissimorum venia!

§. 2.

Quantum constituerit senatorum numerum.

a) Quoniam omnium fere, qui de historia romana scripserunt, Livium nos habere oportet eum, cui vel maxime habenda sit fides, vituperio non videor esse obnoxius, quum proficisci patiar ex hoc dulcissimo suavissimoque fonte totam meam disputationem. Verba jam supra illa quidem allata, quae in disceptationem a me vocabantur, haec sunt in Ep. L. 89: „*Senatum ex equestri ordine supplevit.*“ Verum quisnam ille fuit numerus, quem Sulla constitueret? Res magnis difficultatibus non est obvoluta, modo illud inter nos constet, quisnam antea locum habuerit numerus, nam *supplevisse* illum Sulla dicitur. Per omne fere reipublicae tempus, inde a libertatis vindice atq. patrono usque ad Sullam dictatorem, trecenti fuere senatores, ab ipso Junio Bruto constituti. Quod Liv. refert II, 1 ita: „Caedibus regis deminutum patrum numerum — ad trecentorum summam explevit.“ Ne autem perperam Livium intelligamus! Trecenti antea non fuere senatores; contra hunc numerum et supplendo et alios novos collegas adsciscendo constituit vel, quemadmodum Liv. breviter omnia amplectitur, *explevit* primus reipublicae consul. In quo sane nobis deprehendere licet quandam inter Livium atque Dionysium discrepantiam. Hic enim ducentos jam scripsisse senatores Romulum narrat, nimirum centum ex Albanis, totidem ex Sabinis in civitatem cum ipso rege Tatio adscitis. Haud equidem negaverim, vero perquam hoc esse simile, praesertim

quum Dionysio teste omnes fere romanae historiae scriptores una quasi ita prodiderint voce. Attamen aliter Livius, qui nonnisi centum scripsisse Romulum senatores narrat. cfr. Liv. I, 8. I, 17. Quid? Cuinam fidem habere par est et consentaneum? Rem non in magno equidem collocaverim discrimine: ne conveniat inter illos scriptores, quisnam sub regibus fuerit senatorum numerus — nam, quum praeter Romulum unum duntaxat Tarquinium Priscum alios centum recepisse viros in senatum et Dionysius et Livius referant, — ex hujus sententia fuere ducenti, ex Dionysii autem jam trecenti — teneamus illud, trecentos Brutum constituisse senatores, nec unquam illum numerum ad Sullam usque dictatorem fuisse commutatum. Ne idcirco nos offendat, quod legimus et Gracchum et Drusum veterem senatorum numerum lege amplificare conatos fuisse: alia longe fuit legis, quam infra demonstrabo, sententia. Quot igitur fuerint ante Sullam dictatorem senatores, haec hactenus: atqui Sullam hunc numerum non supplevisse solum, sed etiam auxisse, Appianus non multum abest quin disertis verbis testetur: ex Ciceronis autem scriptis probabili hoc assequimur conjectura. De utroque auctore seorsim est agendum.

b) Appianus, nam ab hoc lubet ordiri, disertis dicit verbis, Sullam, quum diverso tempore diverso modo senatum expleret, tamen trecentos integros et consulem et dictatorem in illum adlegisse (cfr. l. I, 59. I, 100). Quid igitur apertius est quam quod Sulla trecentorum egressus fuerit senatorum numerum? Quamquam enim sanctum patrum

concilium, ut App. testatur, satis esset imminutum et accisum, quum Sulla illi augendo animum attenderet; tamen ecquis crediderit senatores ad unum omnes aut caesos aut demortuos fuisse, nec idcirco proprium quendam senatum habuisse locum? Itaque luce clarius ex Appiano videtur mihi elucere, non solum supplevisse senatum Sullam, uti narrat Liv., sed ampliorem etiam reddidisse numero. Praeclara autem versamur in causa, quum, quid Appianus subobscure significarit, clarius Cicero videatur affirmare, quod ille prorsus praetermiserit, hic innuat et significet. Duo sunt in promptu loci ex Ciceronis desumpti scriptis, quorumque alter viros doctos plane praeteriit, quibus nixi ad verum illum et certo constitutum numerum propius jam appropinquabimus. Animo obversatur primum ep. 14. libri ad Attic. I, in qua leguntur haec: „homines ad XV Curioni nullum S. C. facienti assenserunt: ex altera parte facile CCCC fuerunt.“ Huc accedit orat. post redit. I, 10, quae hunc nobis affert nuntium: „Quo quidem die, cum CCCCXVII ex senatu essetis, magistratus autem hi omnes adessent.“ Quum differentia inter utriusque loci numeros tam sit exigua, ut nulla propemodum esse dicatur, nonne optimo jure de eo nobis poterimus persuadere, ultra quadringentos a Sulla omnino perpaucos in senatum esse adlectos? Quam tam diu amplectemur sententiam, donec contigerit certius aliquid de illo numero invenire.

Sed de senatorum numero quid in medium proferam, nil amplius est quod ad rem magnopere pertineat; itaque, quae tandem concesserit dictator

huic amplificato senatui jura, qua tandem ratione, praeter majorem numerum, studuerit illi conciliare et auctoritatem et potestatem, de eo sequitur ut quam accuratissime disseram. — Nec tamen quod, quum de comitiis disputarem, uberius docui, hic me oportet recoquere, nimirum ex Sullae lege senatum, priusquam rogationes ad populum ferrentur, deliberare debuisse, eique postmodum suffragia populi ex sui ipsius arbitrio aut comprobare aut irrita reddere licuisse. cfr. Rubino p. 6. cfr. orat. Lep. Cs ad popul. rom. in fragg. Sall. §. 5 Orelli: *Leges* — penes unum e. c. Quod sibi ipse Sulla vindicaverat, illud tradidit senatui. cfr. or. C. Lic. Macri trib. pl. in fragg. Sall. §. 3 Orelli. Sall. Jug. c. 31. Quam grave autem fuerit hoc jus, per se jam satis intelligitur. Itaque si omiseris hanc, cujus jam in numerato esse crediderim rationem, legem, quae mirum quantum attulit senatui et auctoritatis et potestatis, duplici potissimum re ad laetiorem evehere Sulla studuit senatum in republica conditionem. Transtulit enim

1) judicia ab ordine equestri ad ordinem senatorium, praeterea
2) confirmavit C. Gracchi legem de provinciis ordinandis, atque insuper de imperio tradendo novi aliquid sanxit.

Quae singula percenseamus.

§. 3.

Judicia ab ordine equestri transtulit in ordinem senatorium.

C. Gracchus, cum judicia contigisset senatui demere eaque in ordinem transferre equestrem, lae-

tabundus: „nunc sese uno veluti ictu senatus nervos circumcidisse“ dixit. At Sulla cum restituisset judicia senatui, idcirco nonne dictatorem omnem rursus illi concilio reddidisse et auctoritatem et in rempublicam potestatem licebit pro vero affirmare? Haec igitur est causa, cur ab judiciorum, Sulla auctore, facta immutatione in disserendo maxime exordiar. Quoniam autem quae huc pertinent, senio situque obruta esse videantur, rem altius repetere in animo est. Ita in clariori luce omnia collocabuntur.

Judicia — nam placet in medias statim ingredi res — Romae fuisse et publica et privata, non est quod hoc loco exponam; nec, quale utrumque fuerit genus, ii in disceptationem vocabunt, qui Ciceronem satis respexerint pro Caec. ita docentem c. 2: „Omnia judicia aut distrahendarum controversiarum, aut puniendorum maleficiorum causa reperta sunt.“ At vero subtilior paullo exoritur nobis disputatio, ad illos nimirum spectans, qui judicandi consueverint inservire muneri. De quibus quum pauca hoc, alia alio loco debeant a me proferri, illud praeprimis tenendum est, ad quemque annum aut constituta fuisse judicum collegia, prompta illa quidem atque omni tempore expedita ad lites componendas, (cfr. *Zimmern* Hist. jur. §. 8 tom. III) aut praetorem, si quando usus venerit, tum demum elegisse vel unum aliquem, uti plerumque, vel plures interdum ad rem judicandam sententiamque ferendam. Fuere igitur primum (de tribunis pl., qui subinde judicum munere fungerentur, cfr. quae supra exposui) *Centumviri* judicum aliquod collegium,

cujus quantus fuerit numerus, illud non accurate satis nomen indicat. Idcirco tamen, teste Festo s. v. centumviralia judicia, Centumviri dicti sunt, quod ita facilius viderentur posse nominari. Causas, de quibus potissimum cognoverint, recenset Cic. de orat. I, 38. Alterum illud constituere judicum collegium *Decemviri litibus judicandis* (cfr. Cic. orat. c. 46. Varro L. L. VIII, 49), qui majori etiam quam Cviri laborant difficultate. Attamen, quum non admodum graves sint ad meam rem promovendam, consultius profecto est laudare Dr. *Zimmern* Hist. jur. rom. tom. III, §. 14, quo qui accuratius illud judicum tractarit collegium, quoad ego scio, nemo fere est. — De judicum collegiis hoc loco non amplius dicam. Nec est quod uberius multo de iis exponam, quos praetor, si quando quosdam inter cives controversia fuerit exorta, creaverit, quibusque illam tradiderit dijudicandam. Hoc autem nos oportebit habere rem et gravissimam et omnino necessariam, litigantibus minime fuisse meram in illo, quem praetor daret, aut arbitro aut judice acquiescendi impositam necessitatem. Contra ita refert Cic. pro Cluent. c. 43: „Neminem voluerunt majores nostri non modo de existimatione cujusquam, sed ne pecuniaria quidem de re minima esse judicem, nisi qui inter adversarios convenisset.“ cfr. *Zimmern* §. 8, §. 10. Quid mirum idcirco, habuisse singulos, quemcunque praetor daret judicem, ut variis rem appellaverunt vocabulis, recusandi, rejiciendi, ejerandi potestatem? Hoc praeprimis ne obliviscamur, hoc ea potissimum ex causa teneamus, quod Sulla quoque sese ad hanc consuetudinem

quodammodo applicuerit: noluit enim antiquitus quod fuerat lege sancitum aut more comprobatum prorsus negligere. Praetor dedit plerumque aliquem, qui ex rei ipsius diversitate, quae in controversiam venerat, aut judices aut arbitri deberet munere officioque fungi (*Zimmern* §. 8, §. 10). Inter utrumque quid intersit, quamquam Ciceronis tempore fuere quos fugeret (cfr. Cic. pro Murena c. 12), ex ipso tamen Cicerone facile colligemus, modo si ad homines transferamus quod ille dixerit de judicii arbitriique diversa ratione. Ita enim pro Q. Roscio c. 4 et 5 loquitur: „Ad arbitrium hoc animo adimus, ut neque nihil, neque tantum quantum postulavimus consequamur. Ejus rei ipsa formulae verba testimonio sunt. Quid est in judicio? directum, asperum, simplex — Quid est in arbitrio? mite, moderatum, *Quantum aequius melius, id dari.*" Restat autem ut de recuperatoribus breviter dicendum sit, nam de judice et de arbitro quod attulerim, illud videtur ad meam rem esse suffecturum. Recuperatores igitur teste Festo s. v. *Reciperatio* cognoscebant et huic omnino ab initio responderunt atque inservierunt consilio, cognoscebant igitur inter populum romanum civitatesque peregrinas de rebus privatis reddendis recipiendisque. Si quae ejusmodi igitur locum habebat inter cives romanos peregrinosque controversia, tunc illi potissimum a praetore, qui litem componerent, creabantur. Quid? Nonne, quale fuerit munus, inde praeterea apparet, quod, ut quam primum res judicetur, curam vel maxime debuerint agere? cfr. Cic. pro Tullio c. 10. Deinde ex eo quoque, quod plures semper

constituti fuerint, nec unquam, quantum scio, in uno duntaxat sit acquietum, quid recuperatores sibi voluerint ab initio, facile videtur posse colligi. cfr. *Zimmern* §. 17.

Verum longe fuit alia publicorum judiciorum ratio, quae, ut Cic. ait, ad maleficia reperta sunt punienda. De privatis autem quum jam satis videar accurate ad commentationis hujus supremum finem disputasse, placet porro, quae necessaria videbuntur, ea de publicis judiciis in medium proferre. Huc igitur omnia ea pertinuere maleficia, quae, quamquam non in ipsam commissa fuissent rempublicam, tamen propter insignem auctoris, qua in privatos homines usus fuerat, et malitiam et improbitatem, ipsi civitati minitatura esse viderentur magna pericula. Haud igitur solummodo de majestatis judicavere criminibus aut perduellionis; furtum praeterea, rapina, damnum injuria datum, injuriae maleficiorum nomine comprehendenda et publicis judiciis sunt adnumeranda. Ceterum in privatis suum quisque persequebatur jus, in publicis cuivis e populo licuit agere. Quodsi autem quaerimus de judicibus ipsis, quorum fuerit in maleficia quae Cic. dicit inquirere, diverso tempore diversos illos fuisse, facile nobis veterum scripta persuadent. Primum autem illud inter omnes constat, propter ipsorum maleficiorum raritatem non potuisse quotannis constitui quibus solis illa commissa essent inquirenda: contra illae scelerum quaestiones admodum fuere extraordinariae, indeque nomen illis inditum est. Primis igitur romanae civitatis temporibus fuit potissimum rex summus cum amicorum

concilio judex et maleficiorum existimator. Quod Liv. testatur I, 49 his verbis: „Eo accedebat, ut in caritate civium nihil spei reponenti (Tarquinio Sup.) metu regnum tutandum esset: quem ut pluribus incuteret, cognitiones capitalium rerum *sine consiliis* per se solus exercebat.“ — Nec vero regem fuisse solum, qui in maleficia inquireret judiciumque ferret, sed duumviros quoque regum functos esse munere et officio, praeterea provocationem adeo ad populum locum habuisse, illud ex eodem Livio I, 26 colligere pronum est. cfr. supra lib. II cap. II §. 2 de provocatione ad pop. Aucta sunt postmodo in dies magis populi jura, nec solum, quum quis provocasset, habuere potestatem judicium ferendi, in universum fuit populus supremus vitae necisque judex. At vero populi comitia habere ejusque suffragiis rem committere, saepe longum; quaesitores idcirco, qui populi fungerentur vice, ad rem praesentem eligere longe videbatur esse consultius. Illi autem, quemadmodum Sigon. dicit p. 450 ed. Paris., dicti „qui judicium publicum exercuerunt, quam quaestionem vocarunt.“ Itaque si quando aliquod maleficium afferret illorum creandorum necessitatem, aut S. C. factum ut plebs populusve quaestioni quos vellet praeficeret, Liv. IV, 51, aut injunctum a plebe populove senatui negotium, ut, quos videretur, institueret Quaesitores. cfr. Liv. XXXVIII, 53. Sigon. l. l. Hüllm. St. p. 393.

Sed valde deinceps commutata est publicarum quaestionum ratio, quamquam omnino fuisse abolitam antiquam, vix quisquam contenderit. Ita v. c. C. Jun. Norbanus trib. pl. Q. Servil. Caepionem

a. u. c. DCLVIII majestatis ad populum fecit reum. cfr. Pigh. ad eundem a. u. c. Aliis tamen exemplis, quoniam Sigonius multus fuit in illis conquirendis, equidem supersedebo: unius legis Cassiae, salva brevitate verborumque parsimonia, mentionem injicere licebit. Qua sancitum fuit, ut tabellae etiam in judicio populi adhiberentur, praeterquam in judicio perduellionis. At vero nonne perspicua sunt haec verba ac plane manifesta? Quis unquam haesitabit in explicando? Haesitavit vir doctissimus Ernestius. Haud enim intellexit V. D., ne in Comitiis commoveretur optimatium plebs sive auctoritate sive timore, idcirco lege illa fuisse cautum, ut ne viva voce, quemadmodum antea fieri solitum erat, sed tacite per tabellas suffragia ferrentur: contra sibi persuasit Cassiam hanc legem haud ad comitia populi esse referendam, sed ad ea potius judicia, quae exercerentur a selectis judicibus, quae judiciorum vel quaestionum publicarum nomine erant insignita. Longe vero aliter sese res habet, nec eam, quam antea proposui, explicandi rationem veram esse quisquam dubitabit, qui prius Cic. de legg. III, 15 et 16 perlegerit ac paullo accuratius perspexerit. Populum enim quo sensu dixerit Cassius, vel apertissime inde patebit: praeterea ceterae leges tabellariae, quarum Cic. agit censuram, quarumque nulla non admodum manifesto pertinet ad comitia, quid haec Cassia sibi velit, haud ambigue declarant. Ex hoc autem loco, si cui residua erit dubitationis quaedam vel levissima pars, eam credo prorsus delebit alius apud Ciceronem locus, in Brut. c. 27, ubi quaestiones perpe-

tuae disertis opponuntur verbis populi judiciis. Verum habeamus, etiamsi nullo pacto verum haberi potest, habeamus tamen verum, quod contendit Ernestus in Cl. Cic. in Ind. leg. s. v. tabellariae, nonnisi ea intelligi debere judicia, quae fieri solita fuerint coram judicibus selectis: qui tamen illa lege Cassia omnis optimatium sublata potest dici auctoritas (de legg. III, 15. de amic. XII. pro Sext. c. 48), quum ipsi judices selecti tum temporis ex ordine senatorio oriundi, optimatium factioni jam sponte sua fuerint addicti? Huc accedit, quod, cur exemerit auctor Cassius ex lege sua perduellionis judicia, vix appareat. Qui enim possunt illa quaestionum perpetuarum judicia, quae coram selectis ex senatorio ordine judicibus fiebant, commisceri atque confundi cum populi comitiis, ut quid ad alterum pertineat, ad alterum peraeque videatur spectare? Pace Ernesti cum Sigonio, quem immerito ille taxat, crediderim legem Cassiam tabellariam referendam esse ad populi comitia, ideoque hac quoque lege probari quod contenderam, judiciorum antiquam quam supra attigi formam, quamquam fuerit commutata, tamen non omnino abolevisse. His igitur paullo fortasse uberius quam par erat, sed propter viri perillustris summam auctoritatem accuratius disputatis, pergam in re, cujus initium feci, ulterius prosequenda. Uti Carol. Sigonius congessit diligenter exempla, quibus populum ipsum in comitiis judicare haud desiisse pateret, ita non minori studio collegit exempla quaestionum extra ordinem, ut antea fieri solitum erat, creatorum. Hunc igitur adeat, quicunque penitius rem expiscari perscrutarique volet!

Sed jam, quaenam fuerit judiciorum immutatio, tandem aliquando distinctius indicem. Quae autem fuit innovationis causa? Quid erat, cur putarent ii, qui civitatis et conditionem et necessitates cognovissent, haud in posterum suffecturas esse extraordinarias, quae tum fuere, maleficiorum quaestiones? In civitatem nimiae influxerant populorum subjugatorum divitiae; inde luxuries creabatur. Quid dein sequatur, Cic. ita bene rhetorico exponit impetu pro Rosc. Amer. c. 27: „ex luxuria exstet avaritia necesse est, ex avaritia erumpat audacia: inde omnia scelera ac maleficia gignuntur.“ Recte quidem, uti fata populi romani abunde probaverunt. Jam aderat illud tempus, cujus tanto tenebatur desiderio C. Pontius Samnis. (Cic. de off. II, 21 §. 75). Itaque haud amplius suffecere extraordinariae, in quibus antea acquieverant Romani, quaestiones. Incaluit Roma iis sceleribus, quae prioribus temporibus aut committi omnino non poterant, aut rarissime certe perpetrabantur. Ob summam idcirco causarum publicarum frequentiam, quae jam aderat et magis etiam imminebat, cogitavit primus L. Calpurnius Piso trib. pl. a. u. c. DCIV de judiciis in perpetuum instituendis certisque magistratibus committendis. De re, qualis tum fuit, utilissima vix ulla poterat esse dubitatio; itaque tribunalia, quorum esset in quotidiana inquirere maleficia, constituta, judiciaque, quae hic fierent, quaestionum perpetuarum nomine sunt insignita. cfr. Cic. Brut. 27. de off. II, 21. Hüllm. St. p. 396.

At vero quinam fuerint quaestionum perpetuarum

rem perscrutemur, ut certius tandem aliquid aliquando constituatur. Illud autem tantum non disertis verbis indicasse videor, judiciorum privatorum, qui primum a regibus, dein a praetore darentur, vel recuperatores, vel judicem vel arbitrum fuisse ex ordine senatorio: sed sententiam meam antiquorum scriptorum testimoniis probare consentaneum est. Aperte testatur Dionys. XI, 1 p. 627: „translato a regibus ad annuos consulatus imperio, inter cetera officia regia juris quoque reddendi provinciam ad eos devenisse: ita ut, de quacunque re orta esset inter cives controversia, illi de jure responderent.“ Quum autem illo tempore, quod non multo ante XII tabul. leges antegrediebatur, Consules nonnisi patricio genere essent oriundi, non mirum profecto est, illos, si quando non ipsi litem dirimerent, sed vel judices darent, vel arbitrum vel recuperatores, hos sumsisse potissimum ex ordine senatorio? Quod nisi ita fuisset, tribuni plebis haud desideraturi fuissent tanto desiderio scriptas leges, quibus in jure dicundo Consules sese accingerent. Attamen illud XII tabularum legibus non esse commutatum, contra seriori etiam tempore judices ex ordine senatorio fuisse testatur Polyb. VI, 17. Plaut. Rud. III, 4 v. 7. Qui autem factum sit, ut semper fere quiesceret plebs in judicibus senatoriis, id existimare non ausim, quamquam vere ita sese habuisse illi aperte declarant loci. Nec tamen semper ad patricios judices plebem debuisse confugere, testatur tribunorum pl. satis gravis illa quidem jurisdictio, testantur judicum quaedam collegia, quae ex plebejis duntaxat, primis certe temporibus, con-

stituebantur, dico Centumviros et Decemviros stlitibus judicandis. Illos jam orginem suam ducere a Servio Tullio, admodum probabili Niebuhrius adsecutus est conjectura. cfr. edit. 3, tom. I, pag. 472 sqq. Decemviros autem stlitibus judicandis ad Decemvirorum formatos esse exemplum, in iisque illorum, qui deinde exstiterant, tyrannorum deprehendi debere vestigia, cum V. D. *Zimmern* mihi persuasi. cfr. hist. jur. §. 14 fin. Illud liceat addere, vero perquam simile videri, Decemviros illos ei respondisse necessitati plebejorum, qua ex suo corpore judicia constitui tanto opere concupiscerent. De utroque autem judicum plebejorum collegio cfr. Liv. III, 54: — sanciendo „ut, qui tribunis pl., aedilibus, *judicibus*, *decemviris* nocuisset, ejus caput Jovi sacrum esset" e. c. cfr. *Zimmern* §. 9, §. 14 fin. Ut vero ex omnibus senatoribus, si quando usus veniret, a praetore vel judex vel arbiter vel recuperatores eligerentur: hoc, quamquam perdiu invaluit, tamen non omni reipublicae tempore constanter observatum fuisse, pro certo equidem affirmaverim. Quo autem tempore primum consuetudo illa fuerit commutata, de eo facile nobis persuadebimus, si prius perspexerimus, quaestiones perpetuas qui exercerent, selectos e senatorio ordine fuisse judices. Nimirum qui tandem publica illa judicia potuissent relinqui solis praetoribus, quibus, ut in singula inquirerent maleficia, negotium fuerat demandatum, quum primum penes omnem fuisset populum jus quaestiones extraordinarias exercendi (*Zimmern* §. 9 nota 4)? A praetore igitur urbano quotannis judices e senatorio ordine constituebantur,

vel unde dicti sunt, seligebantur (Cic. pro Cluent. 43) et in album, ut in more erat dicere, referebantur: cfr. *Zimmern* §. 9 nota 6, ubi loci, quibus enumerandis ego facile me supersedere posse arbitror. Quae quum sit judicum seligendorum ratio, equidem non dubito, inde ab hoc tempore fuisse ex illo coetu eos quoque desumptos, qui controversias privatorum hominum componerent. cfr. *Zimmern* §. 9 nota 9). Nil video quod magnopere meae refragetur sententiae; hinc sponte sequitur, privatos judices arcte conjunctos fuisse cum publicis, ut quid ad alteros pertineret, alteros non minus attingeret. Quo tendi, jam perveni, nec respiciendos esse arbitror recentiores scriptores, qui male sibi persuaserunt ad publicarum nonnisi causarum judices Gracchi referendam esse legem. Minime vero; aeque pertinuit ad privatos judices, siquidem exceperis centumvirale judicium atque Decemviros, quorum prius ex XXXV tribubus constitueretur postea, ideoque videretur denique omnem comprehendisse populum romanum. cfr. *Zimmern* §. 14. Cur autem de eo nil nobiscum communicaverunt veteres scriptores? Certe nobis non refragantur: de judiciis enim in universum semper loquuntur, adeoque crediderim, si excepisset ex sua lege Gracchus aut excipi voluisset privatos judices, scriptores illud fuisse silentio non prorsus praetermissuros. De privatis judiciis haec satis. Attamen suscepto, Gracchus quid in judiciis commutandis sibi voluerit, explicandi negotio ne nunc quidem plane ego et ex omni parte videor respondisse. Quomodo enim Gracchus praestiterit ut judicia trans-

ferrentur in ordinem equestrem, id jam meum esse puto demonstrare. Quoniam autem Liv. Ep. l. LX optime rem narret et in clarissima luce collocet, illius hic juvat apponere verba. Sunt autem haec: „C Gracchus perniciosas aliquot leges tulit: — tertium — ut sexcenti ex equitibus in curiam sublegerentur: et qui illis temporibus trecenti tantum senatores erant, sexcenti equites trecentis senatoribus admiscerentur: id est, ut equester ordo bis tantum virium in senatu haberet.“ Nec vero illud nobis scrupulum injiciat, quod judiciariam hanc esse Gracchi legem non disertis verbis Livius affirmaverit. Alio non spectat: qui enim potuisset Liv. omnium gravissimam Gracchi legem silentio prorsus praetermittere? Succurrit nobis peropportune Plutarchus, qui quum nominatim legis judiciariae mentionem injecerit, quamquam rem paullo aliter narrat, Livio tamen et praesidio est et illi explicando inservit. Habet haec in vita C. Gracchi c. 5: „ὁ δὲ δικαστικὸς, ᾧ τὸ πλεῖστον ἀπέκοψε τῆς τῶν συγκλητικῶν δυνάμεως. Μόνοι γὰρ ἔκρινον τὰς δίκας καὶ διὰ τοῦτο φοβεροὶ τῷ δε δήμῳ καὶ τοῖς ἱππεῦσιν ἦσαν. ὁ δὲ τριακοσίους τῶν ἱππέων προςκατέλεξεν αὐτοῖς οὖσι τριακοσίοις καὶ τὰς κρίσεις κοινὰς τῶν ἑξακοσίων ἐποίησε. At vero quum Plutarchus discrepet aliqua ex parte a Livio, huic potissimum fidem habendam esse jam per se intelligitur. cfr. Hüllm. St. p. 398. Pigh. autem, qui in Annal. ad a. u. DCXXXI Livii tertiam istam legem Platonicis numeris obscuriorem habet, fluctus profecto excitat in simpulo: contra in propatulo est, nec ulla laborat difficultate.

Jam vero paene nihil relictum esse puto, quod, quum faciat ad Gracchi legem explicandam, praetermiserim silentio. Illud nonnisi addendum est, equites, qui in senatum adsciscerentur a Graccho, non fuisse penitus illi insertos, sed quasi extrinsecus et eo quidem duntaxat appositos consilio, ut utrique commixti judicia exercerent. Placet idcirco jam rerum seriem ulterius prosequi, ut ad Sullam, cujus tota haec est disputatio, maturius perveniamus. Qua autem equites romani aut religione probitateque, aut venali fide malitiaque responderint novo judiciorum exercendorum officio, de eo non videntur prorsus consentire veteres scriptores. Ciceroni mirum quantum addicto ordini equestri, cujus adeo qui dicatur patronus dignissimum haud cunctabundus sese profitetur, Ciceroni (in Verr. Act. I, 23. Ascon. in divin. III §. 8) inquam repugnat App. I, 22 equitum publicanorum et importunitatem crudelitatemque et venalem, quae deinceps facta sit, fidem eleganti perstringens dictione. Ne vero alteri plane assentiamur, alterius prorsus falsum habeamus testimonium nulloque omnino fultum argumento, utrumque potius, quantum quidem fieri poterit, sequi conemur testem. Ciceronem idcirco — quamquam vitae genus admodum videri efficax ad mores cogitandique rationem aliquam induendam, haud equidem negaverim, cfr. Hüllm. St. p. 400 — non omni certe ex parte obnoxium fuisse errori („quum equester ordo judicaret — ne tenuissimam quidem suspicionem acceptae pecuniae ob rem judicandam constitutam esse"): Appianum autem in eo verum vidisse nobis persuadeamus, quod equites

romanos immoderate senatorio ordini insultasse, ideoque neminem non et lacessisse et maxime offendisse diceret. Quemadmodum hac rerum conditione civitatis conturbata esset pax atque quies, hoc vero nequaquam fugit Q. Servilium Caepionem anni u. c. DCXLVII consulem. Hoc igitur meditatus est, ut succurreret aegrotanti reipublicae, caussamque inimicitiarum atque odii, quo potiores ordines, dico senatorium et equestrem, invicem sese persequerentur, prorsus tolleret. Quale autem in promptu erat medicamentum efficacius atque praesentius quam ut judicia, simultatis fontem atque originem, neutri concederet ordini, nec soli, nec ad majorem partem; neutrum idcirco superiorem redderet altero, sed aequum potius judicandi jus utrique suppeditaret et inter utrumque ordinem judicia communicaret? Lege idcirco sanxit Q. S. Caepio, ut ne in posterum decurias judicum sexcenti constituerent equites et senatores, quorum nonnisi fuere trecenti: sed ut trecenti equites senatoribus admiscerentur, et utrique promiscue exercerent judicia. Hanc fuisse legis Serviliae sententiam persuadet nobis et Jul. Obsequens de prodig. 102 et Cassiodorus in suis Fastorum tabulis. Quid? Ita senatum legis sibi perhibetur obstrinxisse beneficio, ut ejusdem ordinis patroni honorificum sibi inderetur cognomen. Mirum profecto! Sed Pighii tanta est auctoritas, ut paene pro testimonio videatur haberi debere. Certe Ernestius acquiescendum sibi esse in illius viri doctissimi arbitratus est splendido nomine. At vero salva Pighii immensa doctrina, salvis Ernesti de philologia immortalibus meritis, rem licebit in du-

bium vocare. Qui enim potuit Caepio (Pigh. ad a. u. DCXLVII tom. III p. 141. Ern. Cl. Cic. Ind. hist. s. v. Q. Serv. Caepio) patronus appellari senatus, quum qui eandem postmodo ferret legem, dico Liv. Drusum, senatui hanc ipsam ob causam mirum in modum factus esset invisus? Nam ita narrat App. I, 36: οὕτω μὲν δὴ καὶ οἱ ἱππεῖς καὶ ἡ βουλὴ, καίπερ ἔχοντες ἀλλήλοις διαφόρους, ἐς τὸ Δρούσου μῖσος συνεφρόνουν." Itaque quod jam per se non videatur admodum prope ad veritatem accedere, illud quam sit vanum nec ullo fultum probabili argumento, amplius docebimus. Auctorem profert Pigh. Val. Max. VI c. 9, 13. Attamen, quo illud jure fecerit, in promptu est. Verba haec sunt Val.: Is namque Q. Caepio praeturae splendore, triumphi claritate, consulatus decore, maximi pontificatus sacerdotio, ut patronus senatus diceretur, adsecutus. Nisi alii proferantur veterum loci, patroni senatus cognomen consultius videtur ad alia potius omnia, quam ad judiciariam referre legem. Caepionem aliqua ex parte obsecundasse senatus votis atque precibus, nec vero illi prorsus suffragatum fuisse, ideoque in illius incurrisse offensionem, nonne aperte testatur Cic. in Brut. c. 62, qui ita narrat: „Eodem Q. Caepionem referrem, nisi nimis equestri ordini deditus a senatu dissedisset." Etenim participare voluit equites judiciorum consortio, nec, quod tamen senatus vehementer desiderabat, huic sola exercenda dedit judicia. Idcirco criminatus est Caepionem bene reipublicae volentem, nimis addictum illum esse equitibus. Hanc unice veram esse explicandi rationem, Corradi autem sententiam

longissime, Ernesti longe abesse a veritate, credo omnes sibi facile persuadebunt (cfr. Cl. Cic. in Ind. hist. s. v. Q. S. Caepio). Quo saepius autem legum fit commutatio, eo respublica videtur praecipitius ruere in perniciem! Urbis enim conditae jam 649 a. (cfr. Pigh. ad h. a.) Caepionis legem dicitur abrogasse C. Servil. Glaucia trib. pl. (cfr. Sigon. II, 18), a quo equitibus restitutum est judicandi jus. C. Servil. Glaucia in praetura consul factus esset, si rationem ejus haberi licere judicatum esset: nam et plebem tenebat, et equestrem ordinem beneficio legis devinxerat. Digito veluti a Cicerone his verbis (Brut. c. 62) judiciariam quandam commonstrari legem, non Ernestius primus intellexit: quod tamen ex Ind. leg. s. v. *Servilia* colligere pronum est. cfr. Sigon. II, 18 p. 122 ed. Paris. Pigh. Ann. ad a. DCXLIX. At vero si quis annum a me percontaretur, quo C. S. Glaucia de judiciis tulisset in ordinem equestrem transferendis legem, dubius, quid potissimum responderem, animo haererem; in diversas enim me Pighii huc, aliorsum trahit Sigonii Ernestique auctoritas. Quorum tamen illi lubentius fuerim suffragatus, quoniam ad Annal. conscribendas multis variisque debebat esse instructus adjutusque literarum adjumentis, alii cuiquam quae vix suppeditantur. Arbitratur autem Pigh. legis judiciariae suae C. Se. Glauciam trib. pl. a. u. c. DCXLIX fuisse auctorem, quum contra, qui Sigonio adstipulatur, haberet Ernestius sibi persuasum anno u. c. DCLIII, quo Glaucia praetura fungeretur, tulisse illum suam legem. Sed litem inter viros omni doctrina refer-

tos cumulatosque dirimere non ausim, quamquam Ernestium rem non satis tractasse diligenter, nec me nec ullum puto alium fugere possit. Nam si primum et judiciariam et de repetundis alteram C. S. Glauciae legem uno eodemque enatam esse putat anno, habet qui adversetur Val. Max. VIII, 1, 8 haec referentem: „C. etiam Cosconium *Servilia* lege reum, — accusatoris — carmen — erexit.“ Nimirum repetundarum lege Servilia anno jam DCLI Cosconius fuerat postulatus. cfr. Pigh. ad h. a. tom. III pag. 162 infr. Qua vero alia insuper re temeritatis negligentiaeque sese reddiderit V. D. obnoxium crimini, illud quo apertius appareat, cum ipsius Ernesti, tum, quae respexit, Asconii hic subscribam verba. Quibus etiam hoc lucrabimur afferendis, ut, quo jure Romani nequaquam acquieverint in illa S. Glauciae lege judiciaria, collocatum esse videatur in clarissima luce. Ernestus s. v. *Servilia* fin. ita loquitur: „Huc pertinet illud, quod in reliquiis Or. pro Scauro commemoratur, causam Caepionis, e Servilia lege accusati repetundarum, ad equites actam et judicatam esse. Atqui nec in illa orat. tale quid reperitur, nec unquam Caepio repetundarum lege accusatus est. Majestatis aliquando Caepionem C. Jun. Norbanus trib. pl. anno u. c. DCLVIII reum fecit. cfr. de illius consularis et triumphalis viri calamitate Liv. Ep. l. LXVII. de orat. 47, 48. Brut. 35. ad Herenn. I, 14. Pigh. Ann. ad a. DCLIIX. Asconii verba, quae aut nunquam legit, aut mirum in modum male intellexit, haec sunt: „(M. Aemilius Scaurus pater) reus factus est a Q. Serv

Caepione (a. u. 662) lege Servilia, cum judicia penes equestrem ordinem essent et P. Rutilio damnato (a. u. 660) nemo tam innocens videretur, ut non timeret illa. Q. Serv. Caepio Scaurum ob legationis Asiaticae invidiam et adversus leges pecuniarum captarum reum fecit repetundarum lege, quam tulit C. Ser. Glaucia" (pro: „tulit Servilius, Claudia Gracchia," quemadmodum sine sensu exaratum in ed. Melanchth.). Ernestium non amplius urgeamus nec exagitemus; Pighio fidem habeamus, judiciorum cur alia mox facta sit commutatio, causam fuisse largam satis sufficientemque, ex P. Rutilii miserabili casu, de quo inspexisse juvabit Liv. Ep. l. LXIX. Vell. Pat. II, 13. Pigh. Ann. ad a. 660. Cic. de nat. deor. III, 32. Tacit. Ann. IV, 43. e. c. nobis persuadeamus. Exstitit igitur M. Liv. Drusus trib. pl. a. u. 662, quocum male Plutarchus, sicut supra probavimus, commutavit C. Gracchum, judiciariamque praeter alias pertulit legem, qua, teste Liv. Ep. l. LXXI, aequa parte judicia penes senatum et equestrem ordinem essent. cfr. de off. II, 21. Bei. ed. Sed neutri ita gratificatus Drusus ordini, quod pulchre exponit App. I, 35, in ipso magistratu interfectus est, ejusq. leges, ut Cic. refert de legg. II, 6, „uno versiculo senatus puncto temporis sublatae sunt." Pigh. Ann. ad a. u. 662. Ascon. Ped. in or. pro Cornelio majest. reo pag. 65 Melanchth.

Nondum vero eorum ordo confectus est, qui ante Sullam tanquam ejus decessores judiciorum commutarent rationem. Restat unus M. Plautius Silvanus, qui quid innovaverit in judiciis, ex Cic.

licet sumere. Loquitur enim ita in orat. pro C. Cornelio, cfr. fragg. orat. VII pag. 471 Bip.: „Memoriam teneo, cum primum senatores cum equitibus romanis lege Plautia judicarent, Cn. Pompejum“ e. c. e. c. Explicationis ergo haec subjungit Ascon. Ped. in fin. primae orat. in Cornel. p. 75 Melanchth. Legem tulit adjuvantibus nobilibus, quae lex vim eam habuit, quam Cic. significat: nam ex ea lege tribus singulae ex eo numero quinos denos suffragio creabant, qui eo anno judicarent. Ex eo factum est ut senatores quoque in eo numero essent, et quidam etiam ex ipsa plebe. Attamen nec hanc Silvani legem, qua quid fuerit sancitum, comparari apte poterit atque conferri cum interna centumviralis judicii ratione conformationeque: hanc legem non admodum diu fuisse observatam probabili assequimur conjectura, quamquam veterum qui adsentiantur disertis testimoniis nos esse destitutos non possumus non fateri. Quid autem? Nonne illud certe licebit pro vero affirmare, ad Sullam usque dictatorem non residuam fuisse illam legem? Jam scilicet ad Sullae acta rerum nos perduxit series. At vero num in illud fortasse incurrimus vitium, ut nimis copiose verboseque in iis immoraremur rebus, quae non proxime attingerent Sullae acta? Nemo intelliget Sullae acta, nisi quae antea fuerit rerum conditio, eam cognitam habeat atque perspectam. Iudiciorum igitur Sulla dicitur formam commutasse atque rationem. Nec illud immerito? Legi autem Plautiae manum non adtulit emendatricem: illam jam antea fuisse sublatam, aperte testantur veteres scriptores, judiciariae legis,

quam Sulla tulit, qui faciunt mentionem. Nil enim unquam de Plautia commemorant lege: aut in universum perhibent judicia ad senatorium ordinem rursus esse translata, aut nude cum Sempronia, quae equitibus reliquit solis judicia, conferunt atque componunt. Itaque illam Silvani legem jam fuisse sublatam, quum dictator applicaret animum ad judicia transferenda, apparebit ex Asconii testimonio, quod, sicuti alios aliorum quorundam scriptorum locos, eo potissimum hic placet subscribere consilio, ut illustribus exemplis, innovasse Sullam in judiciis, probetur et extra dubium ponatur.

Ascon. Ped. in Cic. div. p. 95 Melanchth.: His enim X annis, victore Sulla civilibus bellis, spoliatus est populus romanus potestate tribunitia, *judicandi jure, quod habuit per equites romanos militares.*

Vell. Pat. II, 32: Per idem tempus Cotta judicandi munus, quod C. Gracchus ereptum senatui ad equites, Sulla ab illis ad senatum transtulerat.

Tacit. Ann. XI, 22: Post lege Sullae viginti creati supplendo senatui, cui judicia tradiderat.

Ascon. Ped. ad divin. III: Post victor Sulla leges tulerat, ut senatorius ordo judicaret.

Ascon. ad Cic. Verr. I, 13 §. 37: Recte dicit: hoc enim tempus, quo senatus judicat, victore Sulla ab ordine equitum transferente judicia.

Asc. in Ver. I, 16: senatoria judicia dicit, per hos X annos Sullae legibus constituta.

— in Verr. II, 1, 7: status, qui est per X annos, ex quo Sulla vicit, ex quo judicat senatus.

Sall. orat. Lep. Cs. §. 6 cfr. C. Licin. Macer or. ad. pl. §. 3 ed. Orelli.

Sed nolo obtundere. Video autem mirari posse aliquos, quid illud sit, quod, cum Gracchus sexcentos equites in curiam legerit, judicia dicatur in ordinem transtulisse equestrem: Sulla contra, quum eundem senatum suppleverit ex ordine equestri, judicia tamen perhibeatur ordini senatorio soli reddidisse. Attamen res non difficilis est expeditu. Senatus auctoritas atque amplitudo vel maxime continebatur in judiciis exercendis, quae haud scio an arctissimis adeo religionis pietatisque vinculis alligata fuerint illi supremo omnium concilio. Ut equitibus igitur concederet C. Gracchus ad maximam partem judicia, sexcenti adscribebantur senatui, quos idcirco Liv. E. LX sublegisse illum in curiam poterat dicere. Quod tamen quemadmodum sit intelligendum, satis credo erit perspicuum. Aliter prorsus Sulla rem instituit. Etenim equites ita inseruit curiae, ut, quos recepisset, ii equites et esse et dici plane desinerent: nec idcirco solum judicia exercerent, sed omnibus praeterea senatus muneribus negotiisque fungerentur; nec amplius ex equestri ordine, sed ea ratione, qua jam diu soleret senatus refici, supplerentur. Ii contra, quos Gracchus recipiebat in curiam, ex equitibus porro debebant suppleri, aliis senatus muneribus nequaquam fungebantur, solummodo judiciis inserviebant exercendis.

At vero hic jam subsistendum esse videtur. Quo autem jure antiquam rerum Sulla constituerit rationem, eandem igitur ratam habuerit, quae ante

hos prope quinquaginta annos, ante Gracchum, locum obtinuerit, non est hujus loci exponere uberius. In promptu est. Hoc loco liceat lectores enixe commonefacere, ut ne in fraudem induci patiantur Asconii Ciceronisque nimis equitibus addicti testimoniis. Steterat quidem ordo equester pro Cinnanis partibus (cfr. supra de senatu §. 1, 6); hoc vero mihi in causa non fuisse videtur, cur judicia illi ordini adimeret Sulla et in senatorium transferret. Plebis (Sulla a populi causa remotissimus, pro Cluent. §. 151) infringere intolerandam dominationem, qualem vere illo tempore fuisse nemo negabit sanus; antiquam voluit aristocratiam restituere. Imperii igitur gubernacula senatui erant rursus tradenda, ideoque nec judicia, utpote insignem conciliatura et potestatem et auctoritatem, potuit equitibus relinquere. Nonne praeterea licuit sperare, fore ut illa, quam ipse reportasset, victoria senatores bene in posterum et cum suo civitatisque commodo uterentur? Praeprimis quum alio modo vix potestatem suam retenturi esse viderentur? Quod, Sulla adhuc vivo, inculcavit judicibus in pulcherrima illa pro Roscio Amer. oratione c. XLVIII vates Cic.: „Sua cuique procuratio auctoritasque est restituta. Quam si retinere volunt ii, qui recuperarunt, in perpetuum poterunt obtinere. Sin — nolo in eos gravius quidquam, ne *ominis quidem causa*, dicere" s. c. Quid tandem poterat efficacior esse ad judicum ingenia excitanda et ad fidem integritatemque commovenda? At vero frustra homines Cicero fuerat cohortatus, spes Sullam fefellit! Verissime dixit Muretus: „qualia in civitate judicia sint, talem

senatu regente provincias, ordinis equestris auctoritas saltem judiciorum regno niteretur?" Haec Florus. l. III, c. 13. Quid autem nos statuamus necesse est de senatus potestate, quum per Sullam utriusque rei exstiterit summus arbiter? Ad eam nimirum Sulla senatum provexit potestatem, qua per magnam liberae reipublicae partem fuerat gavisus, cuique haud scio an Romani debuerint immensam civitatis magnitudinem, insignem gloriam! Satis, quantum per hujus scriptiunculae supremum finem visum erat, accurate de judiciis proxime superiori exposui paragrapho: jam igitur sequitur, ut de provinciis dicendum sit. Sed quoniam primum quae huc faciant sint expeditiora, nec difficultates, quas in reliquis Sullae actis deprehenderam eruendis, hic me praepediant, quominus in ipsam rem celeriter ingrediar; quum praeterea Sigonius ita disputarit de provinciis, ut (II c. 1) viam hic mihi monstrasse facemque praetulisse videatur, nec nova, quae addenda sint, habeam in promptu — equidem hanc de provinciis disputationem breviter absolvam, nec nisi gravissima in medium proferam. At vero quum omnis disputatio a definitione debeat proficisci, ut, quid illud sit, de quo disseratur, quam primum elucescat: et ego hinc potissimum sumam explicandi exordium, unde statim illud quid sit: „*provinciam constituere*" possit intelligi. Quid autem primum de nomine ipso provinciae, unde videatur esse derivandum? utrum consentiam cum Festo, qui ita prodit: „Provinciae adpellantur, quod pop. romanus provicit, id est ante vicit," an eam potius veram habeam explicationem, cujus qui-

dem, quum aliunde non sit petita, auctorem non liceat in medium proferre locupletem? Nonne enim provincia esse poterit tanquam pro vice, id est pro munere? Praetereo quod ad meam rem non proprie pertinet, disputandique satis inopportune cohiberet seriem: nec in eo, quod Cic. ait II, 1 Siciliam primum omnium provinciam esse adpellatam, licebit diutius commorari. cfr. Vell. Pat. II, 38. Quoniam qui Romae jurisdicundi fungerentur negotio, fuissent praetores; vix autem aliud quid videretur aptius esse ad rem romanam promovendam et ad eas, quas armorum vi subegissent, regiones in officio retinendas, sibi tutandas, in omne futurum tempus conservandas, quam si Romani jus dicerent provincialibus: hinc factum est, ut iidem praetores sicuti Romae, ita in provinciis judiciorum responderent negotio exercendorum. At vero si quando bellum ibi esset gerendum, quamquam a principio iidem fuisse videntur praetores, qui quietam rerum restituerent conditionem, tamen hic magis in consulum munera incideris. Itaque consulum fuit peraeque ac praetorum provincias moderari ibique, populi romani et majestas et imperium ne labarent, providere. Si quando quum magistratu suo jam essent functi, imperium tamen prorogaretur, ipsi in provincia remanerent: insigniebantur singulari proconsulum propraetorumque nomine. Fuere provinciae senatus potestati ditionique a principio subjectae: quas videretur, eas consulares praetoriasve ex suo ipsius ipse constituit arbitrio; decrevit, quibus ornamentis praesidiisque placeret affici tum provincia, tum qui illi praeesset aut praetor aut consul: prorogavit si quando e republic

putaretur, imperium, quo legis curiatae ope instructus esse debebat, qui provinciae cuidam praefici vellet. Quae cum omnia veterum scriptorum testimoniis in clarissima posita sint luce, ita, ut vix ulla residua esse possit dubitatio, quid ego tempus teram locis sive afferendis sive exscribendis, quorum non exiguum collegit numerum suoque inseruit de provinciis utilissimo operi magnus Carolus Sigonius? Unius duntaxat ejusque locupletissimi testis, qui instar esto omnium, juvabit, quoniam Sigonius male eam praeteriit silentio, in medium afferre auctoritatem. Dico Polybium, reipublicae romanae prudentissimum eruditissimumque existimatorem, cujus de reipublicae romanae ratione haec leguntur l. VI c. 15: *τοῦ γὰρ ἐπαποστεῖλαι στρατηγὸν ἕτερον, ἐπειδὰν ἐνιαύσιος διέλθῃ χρόνος, ἢ τὸν ὑπάρχοντα ποιεῖν ἐπίμονον, ἔχει τὴν κυρίαν αὕτη.*" At vero quid dicam de temporum, quae postea sequebantur, conditione, quum jam labaret veterum disciplina et quasi de manibus elaberetur? Honestissimum sane atque omni praedicatione sublimius fuit quidem illud consilium, quo servitutis durissimum plebeji homines a patriciis olim impositum jugum a sese depellere conarentur. Sed quum contigisset nobili generosoque studio ad propositum quasi libertatis fastigium escendere et, quo inferiores fuissent patriciis, omne subvertere discrimen, cur non acquievere in hac legitima libertate, cur impia nefariaque manu omnia tentavere Senatus jura, cui tamen deberent reipublicae praefulgentem gloriam? Nihil relictum est intactum, inviolatum nihil; prudenti senatus consilio nihil relinqui in

regenda administrandaque civitate, omnia suae ipsius temeritati concessa esse voluerunt. Quin imo eo processit plebis infimae faex et stultitiae et imprudentiae, ut singulis, quos adoraret atque in sinu amplexuque gestaret, nimiam concederet potestatem nimisque ab illorum nutu penderet. Tradidit illis extra ordinem, quas cuperent, provincias, easque non ad certum atque praefinitum illud temporis spatium; sed illorum voluntati male obtemperans, qui olim sibi fuissent adsentiti, prorogavit saepenumero provincias. cfr. Sigon. II, 1 p. 304 Paris. Qua re senatum privatum esse antiquo suo jure eoque reipublicae maxime salutari, quis non queratur, nec idcirco succenseat plebis importunitati? Quid? Illa ipsa sive imprudentia, sive nimia tribuentium facilitate, ipsam plebis admodum periclitari libertatem et in summum vocari discrimen quem poterat fugere? Quale impenderet hinc plebi periculum, quum facile possent quos ipsa ad summam provexerat plebes et facultatum et gloriae fastigium, abuti potestate sua immoderata, ille bene perspexit, quem unum maxime fuisse popularem non uno Cicero testificatur loco. Vere enim fuit C. Gracchus popularis, flagravit summo sanctissimoque patriae amore, ejusque firmiorem reddere studuit in futurum tempus salutem atque incolumitatem. Itaque plebis licentiam ut coërceret, finibusque certis circumscriberet in demandandis aut magistratui aut privato provinciis, cavit legibus atque providit. In quibus utinam populus romanus sibi acquiescendum esse putavisset! bellis civilibus nunquam divulsus fuisset atque dilaceratus. Hoc autem deerat, quem-

admodum bene ait Florus III, 21, unum populi romani malis, jam ut ipse intra se parricidiale bellum domi stringeret, ut in urbe media ac foro quasi arena cives cum civibus suis gladiatorio more concurrerent.“ Haec Florus: at meum est ut, quae fuerint legis Semproniae capita, aperiam. Quoniam igitur illud paene in consuetudinem transierat, ut, quas ipse vellet, aut consulares aut praetorias tribueret plebes sive prorogaret provincias cum magistratibus tum privatis, quum praeterea et plebi ipsi videretur hinc aliquod imminere periculum et senatus auctoritate sua nimis spoliari: idcirco lege C. Gracchus sanxit:

1) Ut senatus quovis anno aut novas decerneret aut prorogandas curaret consulares praetoriasve provincias [a]). At vero ne altius quam par esset eveheretur senatus ultra plebei sortem, quae, quum antea provinciarum quoque constituendarum vindicasset summam sibi potestatem, hinc sane poterat animo conturbari: porro sanxit

2) ut consularibus duntaxat quas decrevisset senatus provincias intercedi ne liceret, praetoriae contra ut plebei quodammodo subjicerentur ar-

a) De prov. cons. VII, §. 17: Duas Gallias qui *decernit consulibus* duobus — decernam easdem *praetorias*, ut et praetores *annuas* provincias habeant.

Cic. ad. Cass.: „enitere, ne quid mihi ad hanc provinciam, quam et senatus et populus *annuam* esse voluit, temporis prorogetur.“

Cic. de cons. prov. VIII § 18: „Tamen ego mea sententia C. Caesari succedendum nondum putarem.“

Cic. Ep. ad Lentul.: „Stipendium Caesari decretum est, *et ne lege Sempronia* succederetur.“

bitrio [b]). Postremo autem, credo ne unquam commoveretur senatus cujuspiam aut odio aut favore, cavit

3) ut ante comitia provincias, quas consulares esse placeret, quas praetorias, decerneret [c]).

Nihil in veterum scriptorum latet testimoniis, antum quidem ego possum existimare, quod illi mproniae legi inserviat explicandae. At vero, ut o quasi obtutu tota perlustretur atque conspiciatur r, placet ex Pigh. Ann. a. a. DCXXXI tom. [pag. 60 fin. ejusdem Semproniae legis hic sub-ibere formulam: „Uti. provinciae. quotannis. a. natu. constituerentur. ante. Comitia. (vel. proro-ndae. vel). disignandis. magistratibus. in. sortem. ttendae. Neve. deinceps. Senatus. de. Css. pro-icieis. decreto. quis. intercederet."

Sed Gracchi popularitas, maxima illa quidem, testatur Cic., veruntamen quae niteretur summo triae amore, quo populi romani salutem internam quasi domesticam confirmare studuit atque in fu-

b) Cic. de cons. prov. §. 17: Faciam. inquit, illas Praetorias. — Si hoc sinat. tum enim tribunus intercedere poterit, nunc non potest. —

Quod igitur duae solummodo ita in senatus potestate fuerint provinciae, ut a plebe nil metuendum sit, propterea dicit Cic. c. 2 §. 3: Decernendae sunt nobis lege Sempronia *duae*. cfr. pro domo c. IX §. 24. Sall. Jug. XXVII.

c) Cic. de prov. cons. VII: „Itaque ego idem, qui nunc consulibus iis, qui *designati erunt* — decerno." Sall. Jug. c. XXVII: „Lege Sempronia provinciae *futuris consulibus* — decretae."

12

turum tempus stabilisse, C. Gracchi inquam popularitas haud sufficere visa est turbulentis, qui mox exstitere, tribunis plebis. Nemini quidem unquam probo viro bonoque civi non contemnendi illi atque exsecrandi videbantur: sed infima plebis faex illis adstipulabatur, et uterque, quantum in ipso positum fuit, id effecit, ut labefactaretur legum sanctitas atque religio. Unum dico — quid enim multa in re satis clara et exemplorum copia comprobata? — Sulpicium Rufum, cujus lege inexplebilis honorum Marii fames, sicut Flor. testatur III, 21, decretam Sullae provinciam dicitur sollicitasse. cfr. Vell. Pat. II, 18. Bene igitur fecisse videtur Sulla, qui, ne in posterum tale quid fieret, maxime prospiceret. Jam enim ad Sullam perveni dictatorem, civitatisque legislatorem. Quum autem illa ipsa lex Sempronia de provinciis non adversaretur senatui, sed sanctissimi hujus consilii confirmaret potius atque amplificaret et auctoritatem et in rempublicam potestatem, ita tamen, ut ne nimis eveheretur supra reliquas populi partes: quid in causa fuisset, cur illi dictator manus afferret? Nec profecto illam Gracchi tentavit legem, potius restituit rursus, et cujus memoria paene esset obliterata, eam animis mentibusque hominum infigendam curavit. Quod vere Sullam spectasse atque instituisse, non minimum illud est argumentum, quod in sequenti historia, Sulla jam diu mortuo, utraque tamen lex, et Sempronia et Cornelia, promiscue commemoratur. Semproniam igitur legem viguisse postea, nec Ciceronis aevo, quo ille in republica maxime floreret, fuisse sublatam, quem fugiat, qui

ae supra in medium protuli scriptorum testimonia is bene perspexerit atque animo reputaverit?

Quamquam idcirco hic supersedendum esse vitur exemplis colligendis, locos tamen, qui Corliae legis faciunt mentionem, afferam necesse est. ii, quid potissimum sibi voluerit dictatoris lex, plicandi suppeditabunt materiem. Est autem grassimum Cic. in epp. ad Lentulum I, 9 testimoım circa fin., cujus haec exstant verba: „Appius ı. dictitat, sese, si licitum esset legem curiatam rre, sortiturum esse cum collega provinciam: si c curiata non esset, se paraturum, tibique sucssurum. Legem curiatam consuli ferre opus esse, cesse non esse. Se quoniam ex S. C. provinım haberet, *lege Cornelia* imperium habiturum, ıoad in urbem introiisset." — Hunc locum, non ter eos esse censendum, quos putemus breviter sse delibari et, quae potissimum sit ejus sententı, primis solummodo labris degustari, omnes crederim mecum consentire debere. Sicut igitur cile illum habebimus gravem aliquem et unicum ıene ex hoc genere Corneliae legis nuntium, ita tum probe te esse intellecturum, nisi alia quaedam ıtea in memoriam revocaveris, vix sperare poteris. ico primum curiatam legem, ipso illo loco non mel nuncupatam, cujus quae primis temporibus, uae deinceps fuerit ratio conditioque, antea debebit nstare. In qua tamen exponenda non est quod iutius inhaeream; jam videor mihi supra accurate m tractasse: illinc idcirco, quae hic desiderabis, ssumes. Nonnisi pauca me oportet adtexere. Cic. e leg. agr. II, 10 prodit: „Majores de omnibus

magistratibus bis vos sententiam ferre voluerunt — ut esset reprehendendi potestas, si populum beneficii sui poeniteret.“ Comprobavere solummodo tempore procedente curiata comitia eos, qui alias creati essent, magistratus: quod subobscure significatum esse arbitror lege illa curiata de imperio (Liv. IX, 38), qua singuli magistratus exornari essent soliti. Qua lege quum indicarent curiata comitia, magistratus recens creatos sibi esse commendatos: tum demum senatus jussit illos sortiri provincias, eosque porro novo exornabat S. C., quo ornamenta et subsidia, ut exercitus magnitudo, stipendium in milites, viaticum in legatos e. c. e. c. (cfr. Sigon. II, 1 pag. 308 Paris. ed.) subministrarentur. Illud probe teneamus, post legem plerumque de imperio latam senatum magistratus jussisse provincias sortiri, eumque tum demum subsidia illa, quae commemoravi, decrevisse. De curiata lege haec sufficiant: tributa autem comitia illo tempore evanuisse prorsus, quippe quae a Sulla dictatore essent sublata, illud, quum antea accuratius docuerim, hic nonnisi uno verbo attinet in memoriam revocavisse. Jam vero quaenam inde exsistit legis Corneliae sententia? Nimirum hoc sancitum fuit, ut, quoniam plebiscito in posterum non posset prorogatio imperii fieri, illius vice fungeretur simplex S. C., quo magistratibus provincia a principio jam esset decreta. Nisi igitur senatus mitteret successorem, ultra annuum spatium, quod quidem legitimum fuit tempus, praeerat imperator provinciae, nec prius deseruit, quam ab alio subsequente vel propraetore vel proconsule avocaretur. Quid autem

Appio existimem? Perperam intellexit Corneliam
em, sive ipso illud factum esset imprudente, sive
le intelligendo de industria fraudem, qua se tu-
etur, quaesiisset! Habuit quidem S. C., sicut
e fuit, primarium; at vero in omne tempus id
uit, quod Cic. dixerat: „Comitia curiata rem
litarem continent." Recte! Nemini unquam, ne-
n Sullae, religioni caeremoniisque admirabiliter
lito (Plut. Sulla c. 29) eisque insuper omnibus
us, quae ad deorum pertinerent cultum (cfr.
. in Rull. II, 10: „Curiata comitia tantum
piciorum causa remanserunt"), nemini unquam
mentem venit, umbram illam curiatorum comi-
rum prorsus tollere. Quum igitur jam illud in-
ectum sit, quemadmodum deceptus fuerit Appius
Cornelia lege intelligenda: quid illud sibi velit
Appii sententia: „legem curiatam consuli ferre
s esse, necesse non esse" liceat brevi expo-
e. Quae verba haud facessunt nobis negotium,
meminerimus, quae subsecuta fuerint curiatam
em. Nempe sicut antea probavi, lege curiata
imperio fultus, primum sortiri jussit senatus
, qui futuri essent praesides, provincias; deinde
ministravit novo S. C. ea, quae vel ad iter
ad provinciam cum laude populi romani susten-
dam opus esse viderentur. Quorum neutrum
se cadere, quoniam curiata lex sibi non lata,
atui autem illam semper constanterque respicienti
upulus esset injectus, quominus aut juberet Ap-
m cum collega provincias sortiri, aut decerneret
sidia: Appius idcirco neutrum in se cadere sibi
suasit. Hoc indicat, quum utilem quidem videri

esse legem curiatam dixerit, nec tamen omni ex parte necessariam. Alterum illud, nimirum quum deesset lex curiata, haud sibi cum collega provincias licere sortiri, haec indicant verba: „sese, si licitum esset legem curiatam ferre, sortiturum esse cum collega provinciam: si curiata lex non esset, se paraturum, tibique successurum.“ Alterum probatur loco in ep. ad Attic. IV, 16 obvio, qui ita audit: „Appius sine lege, *suo sumpto* in Ciliciam cogitat.“ Jam vero nihil relictum esse arbitror, unde aliquod accedere posset momentum legi Corneliae, qua provinciarum quoque constituendarum tradidit Sulla senatui summum arbitrium. Itaque hic subsistamus. Ceterum corollarii loco placet et Lepidi Consulis et Licinii Macri hic subjungere verba, quae hanc quoque de provinciis innuunt atque significant legem.

Or. Lic. Macri trib. pl. ad pl. §. 3:

„Ita omnes concessere jam in paucorum dominationem, qui per militare nomen aerarium, exercitus, regna, *provincias* occupavere et arcem habent ex spoliis vestris.“ Tradidit igitur, ut vidimus, ea prope omnia senatoribus in civitatem administrandam jura, quae, quum dictator esset, sibi vindicasset soli. Ita enim Lepidus consul queritur de Sullae dictatura: (cfr. ejus or. in fragg. Sall. §. 6). „Leges, judicia, aerarium, *provinciae*, reges penes unum, denique necis civium et vitae licentia.“

LIBER III.

DE MAGISTRATIBUS.

Omnis deliberatio consultatioque quum frustra instituta esse videatur, nisi aut ipse efficias, aut certe per alios efficiendum cures, quidquid ratum denique habueris; quum praeterea omnis populus vix jussa ipse sua possit ad finem perducere: hinc apparet constitui debere singulos, quibus rerum gerendarum cura sit demandata. *Magistratibus igitur opus est: sine quorum prudentia ac diligentia esse civitas non potest: quorumque descriptione omnis reipublicae moderatio continetur.* Cic. de legg. III, 2 §. 5. Quoniam autem haec optima haberi debeat civitatis ratio, qua, quidquid reipublicae futurum sit salubre atque conducibile, continuo exitum suum habeat, quidquid perniciosum noxiumque, omni modo arceatur atque prohibeatur: duplex inde efficitur lex in magistratibus constituendis. Altera, ut magistratus, quid exigat aut muneris ratio, aut civitatis commodum, quae in omne futurum tempus suprema esto lex, omnibus satisfacere possint officiis: altera, ne unquam pericula minitentur civium libertati, legumque auctoritati. Illud Romani bene providerant, hoc non item. Quo quidem tempore

sicut reliqui omnes cives, ita etiam magistratus insignes fuere morum integritate innocentiaque, eo tempore legum floruit sanctitas et incolumis illibataque remansit. Sed quum primum mores in pejus coepissent verti, tunc magistratus deflexerunt a probitate et abutebantur potestate sua legibus concessa. Marium aliosque multos plane neglexisse leges, jam supra subinde exposui. Amplius autem quod dicam, non est. Recte Cicero magistratus appellat legum ministros: (pro Cluent. c. 53) quas ne in posterum migrarent, Sulla voluit prohibere. Ex hoc igitur consilio probo atque laudabili legum, quae ad magistratus pertinent, longe majorem explicare poteris partem. Quae supersunt aliae, inde enatae, quod ingenti officiorum multitudini magistratuum numerus jam non amplius sufficere posse videretur. De utrisque legibus jam sequitur ut exponendum sit. Primum autem agam de praetoribus ac quaestoribus, quorum majorem reddidit numerum: his deinceps subjungam alias ad coërcendos cohibendosque magistratus conscriptas leges.

CAPUT I.

De ampliato magistratuum numero.

§. 1.

De praetoribus.

Plebes romana, cujus virilem constantiam virtutemque satis mirari non possumus, ad propositum libertatis finem continuo pergens conatu, jam eo

pervenerat, ut consulatus sibi auderet petere societatem. Patricii frustra obnixi; plebi tandem concessum de consule plebejo (Liv. VI, 42). At vero nobilitas jacturam, quam fecerat, haud aequo tulit animo; contra resarcire omni modo illam studuit. Hoc praeturae fuit principium et fons: hunc enim, ut narrat Liv. VII, 1, patricii quaesivere honorem pro concesso plebi altero consulatu. Quid? Nonne bene hoc respondet cum patriciorum pertinaciae, qua nullo tempore non resisterent plebi, eamque ad summam et miserrimam servitutem conarentur adstringere, tum calliditati doloque malo, quo nonnisi ita cederent plebi, ut sibi hanc alteramve paciscerentur nundinarenturque muneris particulam? Itaque constanter suam servarunt patricii rationem: consulatui, quem sibi solis non amplius poterant vindicare, demserunt jurisdictionem nomenque illud, quod consulibus judicibus proprium fuisse videtur (nam Livii verba non ita sunt clara atque perspicua, ut certo de re existimare ausim. cfr. III, 55. Hoc dictum esse volo contra Hüllm. *Grdverf.* §. 27. pag. 367), et utrumque transtulerunt in novum aliquem, quo patricii solummodo fungerentur, magistratum. Livius quid referat de praeturae origine, satis videri congruere cum usitata illa patriciisque jam diu usurpata ratione, quisque facile concedet: tamen Pomponius paullulum Livio refragatur. Qui quum ipse non videatur hallucinari, ita Livio fidem habeamus, ut nec Pomponium erravisse putemus. Verba enim ejus haec sunt de orig. ac success. magistr. c. XIII. §. 17 ed. Ruperti: „Quumque consules avocarentur bellis finitimis, neque esset qui

in civitate jus reddere posset: factum est, ut praetor quoque crearetur, qui urbanus appellatus est, quod in urbe jus redderet." Primum igitur hunc praetorem originem suam debere et patriciorum callido consilio, et vero urgenti necessitati, jam apparere puto. Juris dicundi autem non amplius videbatur unus posse respondere officio, propter hominum quotidie Romam confluentium multitudinem atque frequentiam. Factum idcirco, ut praetori illi adderetur collega eique demandaretur negotium, ut inter cives peregrinosque jus diceret. Juvat Pomponii Jurisconsulti, quoniam ea historiarum pars aetatem non tulit, qua Liv., sicut ex Epitome l. XIX licet colligere, rem tractasse putandus est: juvat igitur Pomponii hic afferre testimonium. Verba haec sunt: Post aliquot deinde annos non sufficiente eo praetore, quod multa turba etiam peregrinorum in civitatem veniret, creatus est et alius praetor, qui peregrinus appellatus est ab eo, quod plerumque inter peregrinos jus dicebat. cfr. c. XIV. §. 28. Rup. Male Hüllm. (*Grdverf.* §. 27 pag. 371) contendit consulem, donec hic praetor peregrinus crearetur, functum jurisdictione inter cives peregrinosque, praetore contra urbano cum illa jurisdictione nihil rei fuisse. Vero fuit, et vehementer sese erravisse, hic, quem modo attuli ex Pomponii Enchiridio, locus poterit viro persuadere doctissimo. Hoc tamen obiter attigisse sat est. Rursum succurrit Pomponius c. XIIX, §. 32 mancis mutilisque Liviani operis exemplis: refert enim, capta Sicilia (Cic in Verr. Act. II. Lib. II. c. 1), mox Sardinia (frustra nititur Ruperti, ut vulgatam apud

Pomponium lectionem: „Capta deinde Sardinia, mox Sicilia" tueatur) praetorum numerum ampliatum esse, ut essent quatuor. Liv. Ep. l. XX. — Duo deinde alii praetores additi sunt, crescentibus jam, sicut Liv. refert XXXII. 27, provinciis et latius patescente imperio. Nimirum tunc primum Hispaniam Romani imperio suo injunxerant eamque in duas provincias, ulteriorem citerioremque diviserant (Liv. XXXII, 28). At vero quid in causa fuit, cur tam arcte cohaererent provinciae cum praetoribus? quot enim constituerentur provinciae, tot videmus esse creatos praetores. Scilicet Romae nonnisi duo ita magistratus sui anno remansere, ut jurisdictioni quisque suae, sorte sibi quae obtigerat, praeesset. Quatuor autem reliqui proficiscebantur in provincias, quas easdem solebant revocare ad sortem, ibique per magistratus sui annum jus dicebant (Liv. XXXII, 28. XXII, 35), populorum conventus obibant, socios tutabantur, tributum cogebant, vectigalia exigebant. cfr. Pigh. Ann. ad a. u. CCCXXXVII tom. I pag. 267. Instabat huic rerum conditioni commutatio, nec levis illa quidem, L. Censorino et M. Manlio Css. Jam jam enim veterum Romanorum disciplina lababat; evanuit vitae integritas atque innocentia. Itaque hoc ipso anno DCV u. c. exstitit L. Calpurnius Piso tribun. pl. quaestionemque repetundarum perpetuam primus instituit, quam Cic. in div. in Q. Caecil. c. 20 dixit sociorum atque amicorum populi Rom. patronam, c. 15 legem socialem. cfr. de off. II, 21. ed. Bei. in Verr. IV, 25. Praeterea quaestio quoque de peculatu, de majestate.

de ambitu publica facta est. cfr. Sigon. de Jud. II, 4. At vero quoniam supra satis videor accurate hanc materiem tractasse, nil profecto attinet hic, quae jam protulerim, vel recoquere vel exornare. Quum igitur praecipuos locos delibasse sufficiat, teneamus hoc: auctore L. Calpurnio Pisone quaestiones perpetuas institutas (cfr. Cic. Brut. 27: „nam et quaestiones perpetuae hoc adolescente constitutae sunt, quae antea nullae fuerunt“), porro autem lege sancitum fuisse, ut magistratus sui anno omnes Romae manerent praetores, eorumque bini jurisdictionem urbanam peregrinamque, quatuor reliqui quaestiones sortirentur perpetuas. Deinde illud quoque sancitum erat, ut, quum primum Romae annum suum transegissent, tunc in provinciam quisque suam, sorte sibi quae obvenisset, proficisceretur. Ecce mea me jam deduxit via ad Sullae res gestas, quae hac quidem in parte multis obstructae sunt difficultatibus et quasi sepimentis. Sive enim respicias scriptorum taciturnitatem, sive unius Pomponii, cujus disertum aliquod extat testimonium, dubiam fidem auctoritatemque, omnia tibi videbuntur in incerto posita esse. Placet autem bipartitam proponere quaestionem, alteram de praetorum muneribus negotiisque, quae item quamvis non mutata a dictatore, tamen ampliata atque adaucta esse dicuntur: alteram de praetorum numero, quem ampliorem redditum esse facile colligas ex munerum ratione modoque.

1) *De praetorum muneribus.*

Non est quod hic repetam, duplex fuisse quasi pensum praetoribus impositum, quorum pertineret

alterum ad exercendas cum jurisdictiones, tum publicas quaestiones, alterum ad provincias administrandas. Jam, quid commutaverit Sulla in praetorum muneribus, mihi exponendum est. De administrandis autem provinciis quid dicam? Plures quidem quotannis praetoriae constitui debebant, at illas consueto suo more praetores administrabant; nihil hic Sulla innovasse videtur. Nec licet singulas recensere praetorias provincias: unas enim illas easdemque haudquaquam semper mansisse, sed ex arbitrio senatus in constituendis provinciis vel consularibus vel praetoriis fuisse variatum, et nemo est quin sciat, et vero satis accurate supra docui. Longe autem praebent uberiorem disputandi materiem quaestiones perpetuae, quarum, quum antea nonnisi quatuor fuissent, multo majorem reddidit Sulla numerum. Verum coërcendum est studium omnia hac in re quasi cum pulvisculo exhaurire. Nimirum jam delatus sum in jureconsultorum campum, in quo tali cum successu excucurrerunt, ut mihi pauca reliquisse videantur. Satius igitur videtur recentiores laudare scriptores, quorum mihi quidem concessa est copia, quam quae cognita sunt et nemini non audita, cum legentium offensione indignationeque repetere. Quoniam autem duplex fuit Sullae in quaestionibus illis opera, cum quae contineretur in priorum nonnullis amplificandis augendisque, tum vero in novis constituendis: hoc ante omnia commemorem oportet, repetundarum et majestatis quaestionibus addidisse Sullam nova capita, quae summa cum diligentia subtilitateque Sigonius persecutus est in praeclaro suo et

vere palmario de Judiciis opere. cfr. II, 26. p. 472. II, 29. pag. 486. ed. Paris. cfr. Pigh. Annal. ad a. u. DCLXXII tom. III. p. 263. Heineccii Synt. antiq. rom. Liv. IV Tit. XVIII, 75. Ernesti Cl. Cic. Ind. leg. s. v. Corneliae. Majestatis autem legis qui fuerint potiores loci, illos infra in medium afferam. At quaenam fuere illae quaestiones publicae, quarum dictator fuit auctor et parens? Longe lateque dissipata dispersaque sunt per romanos scriptores illarum vestigia, quae, sicut jam dixi, constanti aequabilique cura persecutus est Carolus Sigonius. Unus ille Pomponius in Enchiridio suo de orig. et succ. magistr. c. XIIX. §. 32. Rup. complurium quaestionum refert ad Sullam disertis verbis initia. Itaque quamvis Jurisconsultum, sicut ipse videbatur doctissimo Pighio, cfr. Ann. ad a. u. CCCXXXVII tom. I, pag. 267, non facile habere debeamus ex limpidissimis quasi veterum fontibus, ab illo tamen potissimum ordiamur disputationem nostram. Verba autem, quibus maxime nitimur, haec sunt: „*Deinde Cornelius Sulla quaestiones publicas constituit: veluti de falso, de parricidio, de sicariis.*“ Nonnullas attulit hic Pomponius quaestiones, ut, quod contendisset, probaret: noluit tam accurate agere, ut cum singula singulorum criminum aperiret capita, tum, quot vere Sulla constituisset, eundem nobis proderet numerum. Nos igitur adjuti Pomponii testimonio, ut strenue susceptam expleamus provinciam, nostro judicio illarum quaestionum et numerum recencebimus, et vero singula capita enumerabimus.

De falso

aestio tria continet potissimum capita: huc enim rtinet

1) lex testamentaria. cfr. Sigon. de Jud. II, 32. pag. 502. Paris. Pigh. Ann. ad a. u. DCLXXII tom. III. pag. 262. Heineccii IV, XVIII, 63 ed Haub. Suet. Oct. 33: „Et quum de falso testamento ageretur, omnesque signatores lege Cornelia tenerentur" e. c.
2) nummaria. cfr. Sigon. Pigh. l. l. Heineccii IV, XVIII, 64. Ern. Cl. Cic. Ind.. leg. s. v. Corneliae.

Utriusque legis, et testamentariae et nummariae, c. mentionem injicit in Verr. Act. II Lib. 1 c. 2 his verbis: „Cornelia testamentaria, nummaria, terae complures: in quibus non jus aliquod nom populo constituitur, sed sancitur, ut, quod mper malum facinus fuerit, ejus quaestio ad polum pertineat, ex certo tempore."

Jam me deduxit rerum ordo ad alteram de siriis quaestionem, quae, sicut illa de falso, item ura amplectebatur capita. Quibus ego percensens ita satisfaciam, ut, quae necessaria esse videntur, ea quidem in medium proferam, alia autem nnia uberiora illa atque cumulatiora tamquam scoalum refugiam. Eadem igitur

de sicariis

ge egit

1) de sicariis. Operae pretium facturus videor, si ex Senecae libro de providentia hunc ego exscribam locum: „Quid ergo? felix est L. Sulla, quod illi descendenti ad forum gladio

summovetur, quod capita consularium virorum patitur appendi, et pretium caedis per quaestorem ac tabulas publicas numerat? et haec omnia facit ille, qui legem Corneliam tulit.“ cfr. ejusdem Senecae de morte Claudii Caes. libellum: „Is lege Cornelia, quae de sicariis lata est, quaerebat.“ cfr. Pigh. l. l. pag. 263. Sigon. c. 31 Hein. IV, XVIII, 58. cfr. Pompon.

2) de veneficiis. cfr. Cic. pro Cluent. c. 54 §. 148. c. 55 §. 151. c. 56 §. 154. Sigon. II, 31 p. 499.

3) de eo, qui tribunus militum e legionibus quatuor primis, quive quaestor, tribunus pl. e. c. — quive in senatu sententiam dixit, dixerit, qui eorum coiit, coierit, convenit, convenerit, quo quis judicio publico condemnaretur. cfr. pro Cluent. c. 54.

4) de parricidis. cfr. pro Rosc. Amer. c. 5: „Longo intervallo judicium inter sicarios hoc primum committitur. cfr. Pompon. l. l.

5) de incendiariis. cfr. Sigon. II, 31 pag. 500.

6) de eo, qui hominis occidendi furtive faciendi causa cum telo ambulaverit. cfr. Sigon. l. l. Hein. IV, 18, 58 nota 5).

Nonnisi una relicta est

de injuriis

quaestio, quam ne plane oblivioni videar tradidisse, verbo certe placet eam commemorare. Ceterum Hein. IV, IV, 8 et Pigh. l. l. cum fructu consulueris, quandoquidem accurate satis aperiunt legis sententiam.

Nil attinuisse omnia minutiora scire, eo nomine, oniam vix est in literis aliquid leve minutumque, vem hanc de quaestionibus publicis expositionem uerim interpretari: haec potius fuit compendiae viae, quam ingressus sum, causa ratioque, od nollem, quae alii jam cum doctrinae copia paratuque exposuerant, hic apponere. Accedebat c: a summo libelli consilio, quippe quod contietur in describenda ea reipublicae forma, qua lla dictator totam rem romanam ordinibus, matratibus, comitiis commutasset: ab illo igitur suemo fine aliquanto longius videbatur abesse quaeonum publicarum uberrima accuratissimaque enario. Haec hactenus. Particulatius autem, quid Pomponio statuendum sit, referre, non est nesse. Nemo non videbit, vere Sullam tres maxime nstituisse novas quaestiones, quarum tamen fere aevis plura continuerit capita. Pomponius noluit m ad vivum resecare, voluit exemplum unum alumve afferre. Jam habemus ad alteram disputanem aditum expeditum facilemque. Est autem illa

) *de practorum, quem item Sulla auxit, numero.*

Quid, unde haec mihi venit notitia? Haud uidem infitior dubiam esse atque incertam ejus, em cogito, scriptoris fidem; qui non obscure nec lique, sed diserte aperteque hanc memoriae odiderit rei notitiam. At est tamen disertum riptoris testimonium, quod negligere et plane nullo bere in numero, nefas propemodum esse duco. omponius autem oculis obversatur jurisconsultus, em supra jam commemoravi eoque teste usus sum.

Cui quidni credam, quum quaestiones publicas novis aliis omnium consensu perhibeatur Sulla auxisse? Nonne exinde vel sponte sua sequitur, eundem praetoribus quoque alios addere debuisse? Quod Pomponius simpliciter his refert verbis c. XIIX §. 32 ed. Rup.: „*Praetores quatuor adjecit.*“ At vero licet fidem habeamus jurisconsulto, vere Sullam novos quosdam scripsisse praetores, in numero ipso, quem scripto mandavit, non possumus non illi refragari. Ut enim credamus lapsum fuisse Pomponium, jam Suetonius quidem cum Tacito nos inducit: quorum ille vitarum scriptor et Caesarem (c. 41) et Augustum (c. 37) praetores novos addidisse narrat: nihilo minus tamen perhibet Tacitus in Ann. libro I, 14 praetorum duntaxat numerum duodenarium Tiberio imperatori tradidisse Octavianum. Sed multo magis illustrat Dio Cassius rem ambiguam. De Caesare enim l. XLII ita prodit: „*Ἵνα πλείους αὐτῶν ἀμείψητο στρατηγούς τε δέκα ἐς τὸ ἐπιὸν ἔτος ἀποδεῖξαι, καὶ ἱερέας ὑπὲρ τὸ νενομισμένον.*“ Hinc igitur apparet, sex illos, qui antea fuere, praetores, quatuor aliis Sullam augere non potuisse. Pomponium jam satis videor refutasse; nunc sequitur ut probandum sit, quantum Sulla constituisse videatur praetorum numerum. Ex Ciceronis autem scriptis rerum argumenta maxime sumam, unde nova semper in Pomponium refellendum momenta redundabunt, quae vel me tacente nemo non agnoscet. Unde vero ego afferam certiorem praesentioremque medicinam Pomponii verbis, quam quae efflorescit et redundat ex provinciarum ratione? Inter omnes enim constat, praetores ab-

dicato suo magistratu urbano provincias ad sortem vocasse, deinde in suam quemvis, quae sorte sibi obtigisset, fuisse profectum. Quid igitur apertius quam: quot praetores, totidem fuisse praetorias provincias? Coelius autem in Epp. ad Cic. l. VIII, 8 ita dicit: „Itemque senatui placere, in Ciliciam provinciam et in octo reliquas provincias, quas praetorii pro praetore obtinerent." Nec desunt alia, quae bene praeivit Onuphrius Panvinius in Comment. ad Lib. I Fastor. pag. 108 sqq. Firma rerum argumenta, unde colligas vere Sullam nonnisi duos addidisse praetores. Cicero, quo fuit laudis studio et appetitu, qui committere non potuit, quin saepe gloriaretur, de nemine unquam tam honorifice cum permultos cives, tum vero omnem adeo civitatem romanam statuisse, quippe qui ab exsilio ipse revocatus esset incredibili omnium hominum ordinumque studio: Cicero igitur, qui committere non potuit, quin in istum modum gloriaretur, pro Milone c. XV *septem* praetores in ancipiti illa ipsius causa sui exstitisse narrat defensores, eosque adeo in or. II post red. c. 9 omnes nominatim recenset: in Pison. autem c. XV §. 35 omnes, sublato omni discrimine, de se promulgasse magistratus, *praeter unum praetorem* non sine gaudii significatione commemorat. Quid igitur? Num quis ita poterit esse obesae naris, qui hanc omnium clarissimam rem et maxime perspicuam etiam nunc in dubium vocare audeat? Hanc respexit Vell. Pat. rerum commutationem per Sullam factam, quum l. II c. 89 de Augusto ita perhiberet: „Finita vicesimo anno bella civilia — restituta vis legibus — imperium magistratuum ad

pristinum redactum numerum: *tantummodo octo praetoribus allecti duo.*"

§. 2.

De quaestoribus.

Hucusque eum constanter secutus sum diserendi morem, ut, quidquid egisset Sulla, omni ratione argumentisque quamvis alte repetitis illustrare atque patefacere conarer. Praeterea ne ipsius dictatoris acta contemplari intuerique deberemus disjuncta et ab omni historia divulsa: faciundum esse censui, ut, quaenam esset Sullae tempore, quae antea locum habuisset, rerum conditio, eam historiae quasi filo ductus aperirem. Nec nunc placet, quum calcem paene attigerim, derelinquere morem consuetum.

Quaesturae quidem origo sane praebere videtur occasionem, doctrinae et sagacitatis subtilitatisque sibi conciliare laudem. Scriptores enim mirifice fluctuant, nullus fere cum altero consentit, nil certi licet in medium proferre. Viri docti, qui recentiori tempore prodierunt, difficultates summamque illam antiquarum rerum caliginem senserunt quidem: non magnopere tamen in eo sudarunt atque elaboràverunt, ut illas expedirent. Veluti Pigh. doctus Annal. scriptor ad a. u. c. CCXLIV tom. I pag. 70 et Onuphrius Panvinius in Fastor. Comment. p. 65. Quid pro meo mihi videatur ingenioli captu, jam dicam.

Livio, quem sane nos oportebit habere omnium testem locupletissimum, quaenam cum Tacito intercedat dissensio, primum indicare par est et consentaneum. Quid? Quum ipse Livius urbanos quae-

stores l. IV c. XLIII referat tempore fuisse duobus aliis priores, qui consulibus ad ministeria belli praesto essent: Tacitus XI, 22 rem plane convertit, ut summis ima miscuisse videatur. Quis tandem ex hac sese confusione expediret, nisi liceret in illo apud Tacitum loco odorari librariorum corruptelam? Scilicet oculis non constitit in describendo librarius et ab altera in alteram male transiit lineam. Itaque textus suae ita restituatur integritati: „creatique primum — qui Romae curarent. Dein gliscentibus negotiis duo additi, ut rem militarem comitarentur.“ Nunc bene congruit Tacit. cum Liv. IV, 43: quod praeteriisse Lipsium, illius vindicem et quasi sospitatorem, sane mirandum est. At vero locum istum, quo Tacitus omnes optime itemque brevissime adumbravit quaesturae vicissitudines, nondum ita excussimus, ut, quod negotium amplius facessere posset, nihil plane residuum videatur. Quid enim? Rectene constituit Tacitus l. l. post Tarquinios exactos LXIII annum, quo primum urbani quaestores essent creati? Quid ego statuam, infra docebo; Lipsius certe latinarum literarum peritissimus multum refragatur ad Ann. XI, 22. Nec sibi destitutus esse videtur veterum quibus nitatur testimoniis. Ad Livium enim provocat, appellat Dionysium de eadem re eodem fere modo referentem: at non habet cur utrumque in suas trahat partes. His enim scriptoribus sermo exstiterat de S. Cassio Viscellino legis agrariae auctore: cui a quaestoribus Kaesone Fabio et L. Valerio diem dictam perduellionis eumque damnatum esse populi judicio, uterque uno propemodum perhibuit ore.

Liv. II, 41. Dion. VII, pag. 544. ed. Sylb. 1691. His potissimum duobus locis niti voluit V. D. sententiam suam: at non eos, ut jam apparebit, in medium protulit, qui essent proferendi. Contra debebat monere, jam in historia anni u. c. 247 (cfr. V p. 303 Sylb.) Dionysio commemoratos esse quaestores, eundemque item ad a. u. c. 263 (VII p. 468) et 306 (XI p. 726) mentionem illorum magistratuum injecisse: quum ex Taciti testimonio anno demum u. c. CCCVIII quaestores urbani creati esse viderentur. Ita sane melius aliquanto poterat Lipsius suam confirmare sententiam. Praeterea alia aliorum in promptu erant scriptorum testimonia, unde facile esset ad suspicandum, primis jam liberae reipublicae temporibus institutos fuisse quaestores urbanos, nec demum illos eo, quem Tacitus affert, exstitisse anno. Quod testatur Plut. Popl. XII. et Zonaras Ann. II his verbis: „Pecuniae tractationem aliis mandavit Poplicola — tum primum quaestoribus designatis.“ Quid autem hinc ad Tacitum? Vere istum, si quidem velimus fidem habere et Dionysio Hal. et Plutarcho et Zonarae, errasse videri. At res in salvo est: nihil est quod displiceat apud Tacitum, modo ejus verba recte examinemus atque perpendamus. Haud ille negavit creatos esse quaestores ante annum u. c. CCCVIII, negavit populi esse illos antea commissos suffragiis. Quod unde refutaretur, nullus mihi innotuit antiqui scriptoris locus: nam etiamsi Plut. refert ita in Popl. vita c. XII: „ταμίας δὲ τῷ δήμῳ δύο τῶν νέων ἔδωκεν ἀποδεῖξαι,“ illis temporibus, quibus mirum quantum exsultabat patriciorum insolentia

atque importunitas, illa lex facile poterat omitti planeque negligi, donec XII tabulae antiquam in vitam revocarent eamque rursum sancirent legem. Jam videor satis accurate Taciti verba explicuisse, praeclarum scriptorem a Lipsii, quod in illum contulit, crimine defendisse, cum aliis reconciliasse et in gratiam alterum cum altero reduxisse. Nihil jam paene relictum est, quod moraretur me ad Sullam ipsum festinantem. Quid enim omnia hic, summa minima, lectorum cum taedio exponam? Unum illud me oportet commemorare: qui maleficia inquirerent quaestores, eos distinguendos esse prorsus ab illis, quorum haec tota est disputatio. Male Dionys. (VIII p. 544), male Varro de L. L. V c. 14 ed. Speng. p. 86, male Zonar. l. l., male Tacit. XI, 22 nullum inter utrosque quaestores statuit discrimen; sane quidem intererat: perduellionis enim, qui dicebantur, quaestores extraordinarii fuere magistratus, numeroque duo etiam tum exstitere, quum jam diu quaestores illi essent aucti (Liv. VI, 20). Sed quid multa in re, quae jam paene tralatitia esse videatur, quam sua confirmarunt auctoritate Reiz in libro, qui inscriptus est: *Vorlesung über das röm. Alterth.* p. 437. Nieb. *röm. Gesch.* tom. II, p. 483. Hüllm. *Grdv.* p. 134? Hinc igitur apparebit, ut supra contendi, perperam Lipsium ad Tacit. Ann. XI, 22 confisum fuisse Livii. l. II, 41. Dion. VIII p. 544. Etenim his locis sermo est de perduellionis quaestoribus, de aliis non item. Ceterum, ut res confirmetur antiqui quoque scriptoris testimonio: in medium proferam Pomponium, quocum nunc quidem rectius sane mihi convenit. Capite

IX, §. 23 ita de illis refert: „Et quia, ut diximus, de capite civis romani injussu populi non erat lege permissum consulibus jus dicere: propterea quaestores constituebantur a populo, qui capitalibus rebus praeessent. Hi appellabantur quaestores parricidii: quorum meminit lex XII Tabularum.“ Haec fuere, quae de origine quaesturae mihi referre haud videbatur absque re esse, praesertim quum parum hac in re scriptores vidissent. Nunc placet ad Sullam accedere, eaque, quae hic instituit, ita percensere, ut

1) agam de ratione modoque, quo quaestores dicuntur creati esse,
2) de ampliato illorum numero,
3) de muneribus iisdemque, ut videtur, paullum adauctis.

1) *De ratione, qua quaestores creari fuerint soliti.*

Cur autem ego ad hanc delapsus sum materiam, quae ad Sullae acta non ita videtur esse gravis? Quid? novum neminique auditum vix inde aliquid redundavit; omnia, ut antea fuere, in integro videtur reliquisse L. Cornelius Sulla dictator. Causa non est, quam longe circumspiciamus. Quandoquidem vir doctrinae fama clarus ita praepollet auctoritate, ut, quidquid ipsi visum fuerit, in eo lubenter acquiescant inferioris census homines: vix tamen unquam nec fuit quisquam, nec unquam futurus est ita ab omni doctrina instructus, omnibusque quasi numeris ita absolutus, ut, quae eum fugiant, aut quibus obnoxius videatur erroribus, inveniri non possint: operae pretium facturus videor, qui jam

Pighium doctissimum virum, cujus in re literaria non mediocris est auctoritas, refutare studeam. Etenim in fraudem illum induxerunt duo, quos male intellexit, apud Tacitum et Ciceronem loci. Nimirum argutandi eleganterque explicandi studio ita provectus est, ut, quod ajunt, adeo nodum in scirpo quaesivisse videatur. Tacitus, qui saepe jam mihi laudandus fuit, quum in illo ipso libro XI, c. 22 de quaestura memorabili vicissitudines illius magistratus quam accuratissime brevissimeque exposuerit, ita pergit: „et quamquam equites judicia recuperavissent, quaestura tamen ex dignitate candidatorum aut facilitate tribuentium gratuito concedebatur.“ Haec Tacitus: nos statim Ciceronis, quae huc pertinent, subjungamus verba. In invectiva sua in Vatin. orat. c. V ita interrogat: „Quaero abs te, teneasne memoria, cum P. Sextius quaestor sit cunctis suffragiis factus, tunc te vix, invitis omnibus, non populi beneficio sed consulis, extremum adhaesisse?“

Hinc igitur praeclaram hanc elicuit Sullae legem: „Uti quotannis viginti quaestores (cfr. Tacit. Ann. XI, 22) partim populi suffragio, partim consulum lectione crearentur.“ cfr. Ann. a. DCLXXII tom. III p. 261. Pighii doctissimi viri argutias

spectatum admissi risum teneatis amici?

Quasi vero nihil valuisset in libera civitate consulis auctoritas et commendatio! Enimvero consulatus altissimus gradus dignitatis et fuit et habitus est (cfr. or. II post. red. I §. 2), nec mors accidere poterat immatura viro consulari (in Catil. IV, 2). In promptu est aliud ex ipso Cicerone desumptum testimonium,

quod illum in Vatin. locum bene explicat et ita Pighium refutat, ut aliunde non amplius fieri debeat accessio. Dicit enim de amic. XX §. 73: „Non enim tu possis, quantumvis excellas, omnes tuos ad honores amplissimos perducere; ut *Scipio P. Rutilium potuit consulem efficere*, fratrem ejus Lucium non potuit.“ At haec sufficiant, ne, nimis me multa in re apertissima effudisse, possit mihi exprobrari. Itaque acquiescamus in Taciti testimonio, quod ad omne pertinet tempus. „Mansitque consulibus,“ inquit, „potestas deligendi (quaestores), donec eum quoque honorem populus mandaret.“ Sulla igitur hic nil mutavit; nos autem, quum rei mentionem injiceremus, obsecuti sumus Pighii auctoritati, ne error, quo ipse fuit implicitus, latius serperet, aliique eo per sequelam implicarentur.

2) *De ampliato quaestorum numero.*

Brevi res est praecidenda, quoniam non desunt veterum scriptorum diserta testimonia. Duos, qui ab initio fuerint, quaestores totidem aliis esse auctos anno u. c. CCCXXXIV Livius testatur IV, 43. Eodem amplius etiam licet frui auctore: nam hos quatuor quaestores haud sufficere visos, numeroque alterum tantum fuisse adjectum, memoriae prodidit epitome l. XV nude et simpliciter ita: „*Quaestorum numerus ampliatus est, ut essent octo.*“ Utinam ne illi scriptoris praestantissimi libri temporum injuria nobis intercidissent! Ut in reliquis omnibus, ita de quaestoribus nobis certior aliquanto constaret accuratiorque notitia, multo in meliori profecto versaremur causa! Quid autem? Quum hic octo quaestorum

numerus integer illibatusque ad Sullae tempora remansisset, nonne permirum accidit, eosdem nobis invidisse fata Livii libros, qui, quum amplecterentur Sullae res gestas omnes, item ea procul dubio continebant, quae ad quaestores pertinerent? Bene tamen nobis consultum est, quod jacturam aliqua ex parte aliunde resarcire possimus. Etenim Tacit. Ann. l. XI, 22 brevitatis apprime studiosus ita refert: „*Post lege Sullae viginti creati.*“

3) *De muneribus quaestorum iisdemque, ut videtur, paullum adauctis.*

Duo qui fuere tempore primi quaestores, quid sibi potissimum voluerint, quaenam negotia obire consueverint: hoc ut appareat, quum non satis accurate indicet Liv. (IV, 43) quippe qui „urbanos“ strictim et simpliciter illos appellet, licebit aliunde quaesito illustrare testimonio. Narrat Pomponius ad cognitionem satis accurate, ad suavitatem dictionisque elegantiam non item, c. IIX §. 22 ita: „Deinde, quum aerarium populi auctius esse coepisset, ut essent, qui illi praeessent, constituti sunt quaestores, qui pecuniae praeessent: dicti ab eo, quod inquirendae et conservandae pecuniae causa crearentur.“ cfr. Plut. Popl. XII. Paedion. in Verr. III: „Quaestores urbani aerarium curabant.“ e. c. Zonaras l. l. Hoc igitur fuit quasi pensum urbanis impositum quaestoribus, de quo quid referam amplius? Nimirum quae protuli, ea suffectura videntur; summa nonnisi rerum capita me oportet delibare. Itaque, quoniam satis fore arbitror, de iis porro, qui proxime creabantur, de-

fungar Livii brevissimo sane testimonio. Dixit enim IV, 43: „quaestores fuisse auctos: „ut duo consulibus ad ministeria belli praesto essent.“ cfr. Tac. Ann. XI, 22. Jam vero, si exceperis propria et urbanis et militaribus sive consularibus negotia: quid tandem fuit utrisque commune? Omnes promiscue aerarii prospiciebant rationibus. Hanc aerarii curam et ii gerebant, qui quattuor nunc addebantur, quorumque Liv. Ep. l. XV injecit mentionem. Nec mirum, quaestorum numerum fuisse auctum. In dies ad majorem escendebant Romani potestatis gradum; proxime jam instabant, sicut ex Liv. pronum est colligere, bella punica; jam omnis fere Italia Romae parebat. Aperte fatetur Tacit. XI, 22 stipendiaria jam Italia et accedentibus provinciarum vectigalibus, octo quaestores fuisse primum constitutos. At vero me paullulum commotum esse sentio: quid enim afferre possum, quod habeat novitatis commendationem? quid est, quod non potius mihi praeripuisse videatur doctissimus Pighius, qui ante hos ducentos annos hanc materiem ita quasi cum pulvisculo sustulit, ut accessio paene nulla fieri possit? Hunc igitur laudasse juvat, hinc quaerenda est accuratior rerum cognitio: equidem ita totam hanc rem absolvam, ut non plane praeteriisse videar. Itaque sufficiat attulisse, nunc Italiam omnem in quatuor distributam videri provincias, quas quaestores illi quatuor deberent administrare. Quaenam autem horum quaestorum fuerint munia, hoc ex eodem Pigh. in Ann. ad a. u. CDXXCVII placet afferre, tom. I pag. 463. Nimirum „colligebant vectigalia, tributa, portoria,

decimas olei, vini, fructuum frugumque ac denique omnes populi Rom. reditus per Italiam ex agris, silvis et pascuis publicis, in sua quique provincia: pecunias faciebant et in usum reipublicae expendebant, non expensas ad aerarium deinde deferebant." Haec Pigh. Quaenam autem fuere quattuor illae quaestoriae provinciae? Factum est duumvirum antiquitatis romanae peritissimorum, dico Pighium et Lipsium (cfr. ad Tacit. Ann. IV, 27) labore et industria, quae sane philologicis literis mirificos tulit fructus, ut res per se satis obscura nunc paene omnium teneatur quasi manibus. Tantum est studii et diligentiae emolumentum! Fuere hae provinciae:

1) Ostiensis. cfr. Cic. pro Sext. c. XVII. de Harusp. respons. XX. pro Murena VIII. cfr. Diodor Sicul. in Exc. Peir. pag. 390: „καὶ ταμίας ὑπάρχων εἰς τὴν ἐξ Ὠστίας εἰς τὴν Ῥώμην τοῦ σίτου παρακομιδὴν ἐτάχθη.
2) Calena vel Campana. cfr. Tacit. Ann. IV, 27.
3) Gallica. cfr. Suet. Claud. c. XXIV. Plut. Sertor. IV.
4) Luceria.

Sed quid nos faciamus literarum aliquanto rudiores quam illi omnis doctrinae antesignani, qui ingenue tamen professi sunt, sibi de hac quarta provincia, quaenam fuerit, quo situ, quod habuerit nomen, parum innotuisse? Nolui unius novitatis studiosus, quae nulla est, nisi accedat doctrina, nisi adsint argumenta firma atque stabilia, novum aliquod proferre commentum: illorum igitur duumvirum placet alterutrum sequi. Pighio quam Lipsio ad Tac. Ann. IV, 27 praestabilius visum ac con-

sultius fidem habere: quum enim ita reliquarum provinciarum perscrutatus esset fines, ut residua esse videretur una illa Italiae pars, orientem versus Adriatico et Jonio mari contermina: cui includerentur Apuli, Hirpini, Pediculi, Sallentini, Messapii e. c., hunc terrae tractum sane cum veritatis specie assignavit quartae provinciae. Hanc Pighii sententiam ut verisimiliorem amplexandam esse censeo. —

De quaestorum autem, quotquot illorum fuerint genera, negotiis haec hactenus. Jam illud probe meminisse nos oportebit, quod supra ad meam rem satis accurate exposui, nimirum quaesturam primum fuisse honorum gradum, indeque aditum patuisse primum in senatorum sanctum concilium ac coetum.

Quorsum autem tam multa de quaestorum muneribus? Quorsum hoc, quod modo protuli, quaestores solitos fuisse in senatum recipi? Quamquam haud videtur nimis soluta vagata esse haec mea disputatio, nec ea, quae commemoravi, sentio fuisse longiora: tamen jam ad Sullam omnia ita referam, ut, cur singula attulerim, statim appareat. Quid? Quoniam ex Ciceronis praecepto (de legg. III, 3 §. 10) senatus maxime constabat ex magistratibus, senatorum autem numerum Sulla ita auxit, ut centum et supra etiam addidisse videretur, quid apertius manifestiusque, eundem Sullam eo potissimum consilio magistratus instituere debuisse multo plures, ut esset, unde suppleretur senatus?

Et quum Romanorum imperium tam late pateret, ut non modo omnem amplecteretur Italiam, sed etiam Siciliam, Corsicam, Africam, Asiam, nonne vero perquam videtur esse simile, Sullam

novas quoque scripsisse provincias quaestoribus, in quibus magistratus suum annum transigerent, iisdemque illic fungerentur negotiis, quae supra recensui?

De altero non est quod dubitemus. Exspectatio nostra, Sullam auxisse quaestores maxime eam ob causam, ut inde suppleretur senatus, haud frustrata. Testatur rem his verbis diserte Tacitus illo loco, quem jam saepe commemoravi XI, 22: „Post lege Sullae viginti creati *supplendo senatui, cui judicia tradiderat.*"

De provinciis autem quaestoriis in aeque illustri nequaquam versari videmur causa; plane enim nobis deest scriptorum auctoritas. At plane suffragamur doctissimo Pighio, qui in enumerandis Sullae legibus, cfr. Ann. tom. III, p. 264, 65, hanc primum, quantum scio, protulit conjecturam. Hunc adeat, qui ejus sententiam accuratius exactiusque volet perspicere.

CAPUT II.

Leges ad coërcendos magistratus maxime sancitae.

Non est quod accurata disputatione illas explicem leges; per se ipsae loquuntur: itaque simplici defungar illarum enumeratione.

§. 1.

Ne quis praeturam ante quaesturam peteret, neve consulatum ante praeturam. — In promptu est Sullae consilium. Prohibere voluit, ne ambitiosi viri nimis mature escenderent summos honorum

gradus, ideoque illis abuterentur. cfr. App. b. c. I, 100. Ceterum respexisse hanc legem Cicero putandus est, cum ita in Phil. XI, 5 scriberet: „Alter Caesar, Vopiscus ille, homo summo ingenio, summa potentia, qui ex aedilitate consulatum petit, solvatur legibus: quamquam leges eum non tenent propter eximiam, credo, dignitatem.“ — Minus ad coërcendos magistratus haec valere videtur lex, quae jam locum suum obtineat.

§. 2.

Ut quis post aedilitatem continuo praeturam et post praeturam consulatum petere posset. Hinc App. I, 121 de Crasso: „consulatum petebat praetorius juxta legem Corneliam.“ Cic. Acad. Quaest. IV, 1 de Lucullo: „In Asiam quaestor profectus, ibi per multos annos admirabili quadam laude provinciae praefuit: deinde factus absens aedilis, continuo praetor (licebat enim celerius beneficio): post in Africam: inde ad consulatum.“

§. 3.

Ne eundem magistratum susciperet quisquam, nisi post annum decimum. Ejusdem legis testis est App. I, 100: „*καὶ νόμῳ κωλύσας τὴν ἀρχὴν πρὶν ἔτη δέκα διαγενέσθαι.*“ Est antiqua quaedam lex, quam apud Livium jam commemoratam invenio VII, 42: „item aliis plebiscitis cautum, ne quis eundem magistratum intra X annos caperet, neu duos magistratus uno anno gereret.“ cfr. Cic. de sen. c. VI. Hanc igitur legem Sulla in vitam revocavit, abolitam Marii aliorumque conatibus.

§. 4.

Uti legatis provincialium magistratuum de-
essuris in sumptus factos non plus decernerent
vitates, quam lege a se constitutum esset. Te-
is Cic. ad famil. III, 10: „Ad me adire
uosdam memini (nimirum ex Epicteto), qui dice-
ent, nimis magnos sumptus legatis decerni: qui-
us ego non tam imperavi quam censui, sumptus
gatis maxime ad legem Corneliam decernendos.
r. III, 8.

§. 5.

Ne quis cum imperio in provincia existens,
accessore adveniente, ultra trigesimum diem in
idem permaneret. Testatur Cic. ad App. Pulch.
I, 6: „Non modo ibi non fuisti, ubi me quam
rimum videre posses, sed eo discessisti, quo ego
ne persequi quidem possem triginta diebus, qui
bi ad decedendum lege (ut opinor) Cornelia con-
ituti essent." et in fin.: „Et, ut habere ra-
onem possis, quo loco me, salva lege Cornelia,
onvenias, ego in provinciam veni pridie Cal.
ex."

§. 6.

Ne quis magistratus exire de provincia, edu-
ere exercitum, bellum sua sponte gerere, in re-
num externum accedere injussu pop. Rom. sena-
sve posset. Cic. in Pison. 21: „Hic si mentis
sset suae, nisi poenas patriae diisque immortalibus
enderet, ausus esset (mitto exire de provincia)

educere exercitum, bellum sua sponte gerere, in regnum injussu populi aut senatus accedere? quae cum plurimae leges veteres, tum lex Cornelia majestatis, Julia de pecuniis repetundis, planissime vetant." cfr. Cic. Clav. Ern. in Ind. leg. s. v. Cornel.

LIBER IV.

AD ACTA SUA QUID FECERIT SUSTENTANDA.

Illa igitur instituta legesque (Cic. pro. Rosc. Am. c. 45 c. 47), quibus omnem reipublicae formam plane immutavit L. Cornelius Sulla dictator, quis est qui non habeat laudandas illas et admodum celebrandas? Equidem confiteor, plane mihi videri Sullam perspexisse civitatis necessitates atque commoditates, iisque perbene leges suas accommodasse. Nec enim jam Romani perferre potuissent monarchiam, nec ea rursum, quae proxime ante Sullam exstiterat, rerum conditio amplius poterat servari, nisi plebis effrenatae, cui nimia concessa erat in rempublicam regundam vis atque potestas, temeraria consilia miscere omnia, perturbare et ad certissimam perniciem rem romanam deberent adducere. Tantum enim aberat, ut libertatis sensus ad unius cujusdam dominationem perferendam satis fuisset sive imminutus sive temperatus, ut nullo tempore minus videretur fuisse adstrictus certis finibus iisque necessariis, nullo tempore effrenatior ferretur. Ecquid igitur fuit, quod ad reipublicae rationes videretur esse uberius, quam si liberam

rempublicam sustentaret quidem, sed nimium immoderatumque libertatis sive studium sive errorem coërceret, omniaque summa prudentibus nobilium consiliis quam imprudenti inconstantique plebi mallet permittere? Vere autem Sullam hoc secutum fuisse consilium, cum leges vel me tacente per se ipsae satis declarant, tum probat legislatoris historia ejusque vitae rationes. Utrumque jam ita videor absolvisse ut, quod ad alterum pertineret, omnia, summa minima, aequabili propemodum studio pertractassem locos, qui facerent vel ad ejus cognoscendum ingenium, ad animi naturaeque habitum illustrandum, vel ad fortunae perspiciendas vicissitudines. Quid autem? Annon sufficere videntur ejus leges ejusque vita, ut, quid maxime voluerit, perspiciamus? Nihil, opinor, opus est aliorum scriptorum testimoniis, quae tamen satis multa adsunt. At ne plane veterum desit auctoritas, defungar Ciceronis, qui tum fuit admodum juvenis, aliquot verbis, ex oratione pro Sex. Rosc. Am. desumtis. Dicit ita c. XLVII: „Quis enim erat, qui non videret, humilitatem cum dignitate de amplitudine contendere? quo in certamine perditi civis erat, non se ad eos jungere, quibus incolumibus et domi dignitas, et foris auctoritas retineretur. Quae perfecta esse, et suum cuique honorem et gradum redditum, gaudeo judices, vehementerque laetor; eaque omnia deorum voluntate, studio populi Romani, consilio et imperio et felicitate L. Sullae gesta esse intelligo.“ cfr. XLIX. in Verr. II, 1, 14. Illud igitur intelligere nos oportebit, bene consuluisse videri Sullam reipublicae commodis,

qui nobilitatem conaretur amplificare eique imperii tradere gubernacula. Is autem, qui tam salutare temporique accomodatum cepisset consilium, qui salutares scripsisset leges, qui dictatura, qua ad vitae supremum spiritum licuisset fungi, sese, absoluto legum conscribendarum civitatisque ordinandae officio, sponte sua abdicasset, adeoque paratum sese fuisset professus ad actorum reddendas rationes: num probabile est, eundem sola ira crudelitateque fuisse commotum atque instigatum? Equidem, ut hoc credam, nunquam adduci potero; contra mihi persuasi, conclamatum quasi illud tempus, summa commixta imis, cives autem inflammatos fuisse eo quo se invicem prosequerentur odio atque furore, ut nunquam quieturi viderentur, nisi altera civium pars plane victor discederet e certamine, altera ita depressa jaceret, ut sese movere et respirare plane nequiret. Temporum illorum immanitas quanta fuerit, verbis aequare nemo facile possit; intelliget quisque, qui historiam inspexerit. Sullam idcirco ne plane abominemur, si aut eo connivente aut ipso adeo auctore nefanda perpetrata legimus facinora: temporum fuere illa, non unius Sullae. Quid? Ita fere judicaturum fuisse Ciceronem temporis aequalem, facile profecto est ad suspicandum. Etenim quum in orat. III de lege agr. §. 5 recte perstrinxisset illam L. Flacci interregis legem, qua omnia, quaecunque Sulla fecisset, essent rata, eamque appellasset iniquissimam dissimillimamque legis, ita pergit: „Est invidiosa lex: veruntamen habet excusationem; non enim videtur hominis lex esse, sed temporis.“ Haec igitur Cicero; nos lugeamus

temporum iniquitatem perversitatemque, laetemur propter nostri aevi et humanitatem et felicitatem, quo talia accidere posse non videntur: Sullam autem, quantum fieri poterit, excusemus, nec sine justa, quae sibi visa fuerit, causa, singula eum perpetrasse quamvis nefanda facinora nobis persuadeamus. Praesentem satis atque efficacem voluit aegrotae civitati afferre medicinam; quis hoc non probaverit consilium? scalpello autem, quo adeo membra secarentur, opus fuisse, quis non doluerit? Omnia autem, summa minima, percensere, sane longum est neque necesse: idcirco Plutarchum sufficiat laudasse et Orosium et Vell. Paterculum et Valerium Maximum: unde omnia etiam minutiora facile cognosces: nos nonnisi potiora in medium proferamus, quibus actis suis diuturnitatem voluerit conciliare. Huc pertinere puto primum

§. 1.

Legem de proscriptione,

cujus quae fuerit causa, quam habuerit vim, jam aperiundum esse videtur. Quum primum Sulla cum exercitu Romam ingressus esset, innumerabiles statim perpetrabantur infinitaeque caedes, nec ii solummodo variis affecti suppliciis, qui exstitissent Sullae ejusque partium inimici, ii quoque, quibus nihil unquam intercessisset cum ipso negotii. cfr. Lepidi or. in fragg. Sall. §. 7 ed. Orelli. Nimirum videtur Sulla eam Solonis apprime probasse legem, qua bonorum civium numero eos exclusit, qui in seditione neutri sese addixissent parti. Quid autem esse potest crudelius? Quum igitur nullus

appareret finis caedis, adeoque Sullae socii atque satellites ipsius nefarie abuterentur amicitia indulgentiaque ad privatas ulciscendas inimicitias: ecce misero hoc tempore in senatu exstitit Cajus Metellus et libere sciscitatus est e dictatore, quando futurus esset malorum finis, quando vacui esse ipsi possent et liberi ab illo timore, qui suspensos teneret atque sollicitos omnes omnium animos. „Enimvero," inquit, „non illud abs te petimus, ut, quos supplicio volueris afficere, iis ignoscas: quos servare in animum induxisti, iis ut scrupulum dubitationemque ex animis evellas optamus." Quum autem Sulla responderet, sibi ipsi nondum constare, quos servaturus esset, tum Metellus: „Itaque aperi quos punire vis." Hoc sese facturum affirmavit Sulla; in tabula perscripsit, quos ultimo afficere vellet supplicio, eamque ad omnium notitiam in ipso foro omnium exposuit conspectui. cfr. vita Sullae apud Plut. c. XXXI. Hoc fuit proscriptionum abominandarum principium et fons, quem omnes uno ore referunt ad Sullam. Hinc Vell. Pat. II, 28 dicit: „Primus ille (et utinam ultimus!) exemplum proscriptionis invenit." cfr. App. b. c. I, 95. Florus III, 21. Proscriptiones quam habuerint vim, videmus; de ipsis autem peculiari lege fuit sancitum, cujus quaenam fuerint capita, jam sequitur ut exponendum sit. Illud primum non in magno ponendum esse discrimine censeo, quod Cicero dubitat in orat. pro Sex. Rosc. Am. c. 43, utrum ista ipsa lex, quae de proscriptione erat, fuerit Valeria an Cornelia. Nisi ipse scripsit Sulla sicut alias suas leges, certe sub ipsius auspiciis tulit L. Valerius Flaccus interrex. Quod ad

singula attinet legis capita, duae potissimum fuere illius partes, quarum altera de ipsis sanciebat proscriptis, altera (Vell. Pat. II, 28: Adjectum etiam e. c.) de ipsorum liberis. Quoniam autem fuit sane varia utraque lex atque multiplex, quippe quae plura contineret capita, de proscriptorum liberis propria peculiarique agam paragrapho. Nunc de ipsis proscriptis. Fuit in hac lege sancitum

1) Ut eorum bona venirent, qui proscripti, cfr. Cic. or. pro S. R. Amer. c. 43. Lepidi Cs. or. in fragg. Sall. §. 7 Orelli.

2) Aut eorum, qui in adversariorum praesidiis occisi sunt, cfr. Cic. l. l.

3) Ut ne quis proscriptum juvaret, cfr. Cic. in Verr. Act. II Lib. I c. 47 §. 123. Plut. Sulla c. 31.

4) Ut praemiis remunerarentur proscriptorum percussores, cfr. App. b. c. I, 95. Plut. l. l.

5) Ut proscriptiones venditionesque fierent ad Kal. Jun. cfr. Cic. pro S. R. Amer. c. 44.

In manibus est, cur haec de proscriptione lex nos maxime offendere debeat. Et tamen audiamus Pseudociceronem pro domo sua c. XVII ita bene referentem: „Proscriptionis miserrimum nomen illud et omnis acerbitas Sullani temporis quid habet, quod maxime sit insigne ad memoriam crudelitatis? opinor, poenam in cives Romanos nominatim sine judicio constitutam (Vell. Pat. II, 28). At quae vix ferenda est, ferremus tamen invidiosam legem, si, quos sibi suisque partibus perniciosissimos et fuisse cognovisset et futuros esse animo prospexisset, si eos solummodo hac ratione truci-

dandos putasset. Quid autem? Proscripsit qui nunquam sibi offecissent, proscripsit quos vellent satellites sui scelerum socii, ut miserorum manubiis ipsi crescere possent.“ Vell. Pat. II, 22. Quibus quam nefarie sese praebuit facilem, iisque quam prava liberalitate proscriptorum dilargitus est bona! cfr. Cic. de off. I, 14. pro Murena c. 20. in Rull. II, 21 §. 56. Plut. Sulla c. 33. *Φονευομένων οὔτε ναὸς ἦν καθαρὸς θεοῦ, οὔτε ἑστία ξένιος, οὔτ' οἶκος πατρῷος, ἀλλὰ καὶ παρὰ γυναιξὶ γαμεταῖς ἄνδρες ἐσφάττοντο, καὶ παρὰ μητράσι παῖδες.* Plut. Sulla 31. Sed de proscriptione quae protuli, ad cognitionem satis, ad summam cujusque excitandam indignationem jam sentio fuisse longiora: itaque ad alteram legis partem statim transibo, quae erat

§. 2.

De proscriptorum liberis nepotibusque.

In illa oratione, quam Lepidus Cs. dicitur coram populo habuisse, mirifice accomodata illa ad plebis animos instigandos ejusque studia excitanda, ut reipublicae formam a L. C. Sulla dictatore constitutam quovis modo conarentur infringere, graviter conquestus erat orator Sullae injurias scelere conflatas insignemque crudelitatem. At qui sibi videbatur magnus accedere cumulus, omniumque injuriarum veluti apicem constituere, his amplexus est verbis: „Quin solus omnium post memoriam humani generis supplicia in post futuros composuit, quis prius injuria quam vita certa esset.“ Hoc igitur quorsum pertineat indicem oportet. Sulla quum exsisteret reipublicae legislator, vide quale

intercederet discrimen inter ipsum et alium quemvis civitatis legislatorem. Legum conscribendarum officio qui funguntur, rogati plerumque munus summo civium consensu in se recipiunt, alios multos prudentia claros consulunt, leges denique civibus ita suppeditant, ut ipsorum arbitrio relictum esse videatur, utrum sancire velint an non. Quid autem dicam de Sulla? Non unus ille a civibus propter rerum civilium usum electus erat ad leges conscribendas, sed potius multis invitis, vi et militum armatorum ope, nullo rogante, et dictator et legislator exstiterat: nec leges suas, utrum ratae futurae essent, voluit a civium pendere voluntate; adeo obtrusit illas armorum vi. Ut brevi rem praecidam, facile erat ei ad suspicandum, multos se mortuo esse prodituros, qui acta subvertere conarentur. Quibus autem illud magis cordi futurum esse poterat suspicari, quam proscriptorum liberis, qui per dictatorem iis omnibus fuissent privati rebus et spoliati, quae tamen hereditatis optimo jure viderentur ad se pertinere? Quod Sullam, qua fuit prudentia, nulla profecto ratione poterat subterfugere, ideoque de proscriptorum sanxit tum liberis, tum vero nepotibus (cfr. Plut. Sulla c. 31):

1) Ut ne illis redderentur paternae opes. Plut. S. c. 31. Cic. pro S. R. Amer. 50, Vell. Pat. II, 28: „exclusi paternis opibus liberi.“ Sall. Cat. c. 37. Legis quae fuerit sententia videmus, nec est quod refragari illorum omnium arbitremur auctoritati unum Plutarchum, qui in Cic. vita c. XII haec prodidit memoriae: „Nam tum illi, qui per leges Sullanas ab honorum petitione prohibebantur,

proscriptorum filii, *neque opibus carentes*, neque pauci numero — populi favorem captabant.“ Quid, nonne facultatibus illi poterant esse aucti, sive luculento matrimonio, sive alia quavis ratione? Hoc autem, quod privarentur illi paterna hereditate, non ita fuit grave, quam quibus aliis rationibus ad inferiorem deprimerentur conditionem: nam lege praeterea fuit cautum

2) ut a curia prohiberentur (Dion. Hal. VIII, p. 547 Sylb.), quorumque patres fuissent senatores, ii ut onera ordinis sustinerent et jura perderent. (Vell. Pat. II, 28.)

Hanc autem legem esse iniquissimam, sicut etiam Vellejo videbatur, omnes uno ore fatebuntur, nec illam nonnisi propterea fuisse scriptam, ut nullo in republica loco essent proscriptorum liberi, sed ut graviter etiam vexarentur atque perturbarentur, omnes intelligimus. Quum enim ita exclamet Cic. in orat. pro Cluent. c. 55 §. 150: „Quam multa sunt commoda, quibus caremus: quam multa molesta ac difficilia, quae subimus? atque haec omnia tantum honoris et amplitudinis commodis compensantur“ quid dicamus, quum et honore et amplitudine proscriptorum filii fuerint exuti, nec ea retinuerint jura atque ornamenta, quae in eadem illa orat. c. 50 diligenter Cic. enumerat? Censet inter illa ornamenta „locum, auctoritatem, domi splendorem, apud exteras nationes nomen et gratiam, togam praetextam, sellam curulem, fasces, exercitus, imperia, provincias.“ Haec Cicero; nos in iis pergamus afferendis, quibus Sulla amplius removere

a republica studuerit proscriptorum et filios et nepotes. Vetuit enim

3) ne magistratibus fungerentur. cfr. Plut. Cic. c. XII. Vell. Pat. II, 28. Quintil. XI, 1, 85: „Quid enim crudelius, quam homines honestis parentibus a republica summoveri?“ (cfr. quid sit „*respublica*“ in his dictionibus: capessere rempublicam Cic. pro Sext. VI, ad rempublicam accedere Cic. Verr. I, 12.) Haud equidem refragor Quintiliano; ecquid autem salubrius videbatur facere ad acta servanda, omnesque inimicorum impetus repellendos, quam si removeret a republica eos, qui vel maxime corruere cuperent Sullanam reipublicae constitutionem? Nonne enim adhibituri videbantur hi, si exstitissent magistratus, suam vim atque potestatem ad Sullae leges abrogandas, ut quam maturrime sibi bona patria redderentur? Quid autem multa? Ipse Cicero, omnium bonorum civium optimus integerrimusque, arctissime cohaerere cum ipso reipublicae statu illam sibi persuasit quamvis miseram conditionem; ideoque, quum aliquando magis urgerent atque instarent ipsi illi proscriptorum liberi, ut ad rempublicam admitterentur, ita conatus eloquentia sua repressit, ut honores petere adeo illos puderet. cfr. Plin. H. N. VII, 30. Quint. l. l. Cic. in Pison. §. 4. Itaque propter hanc legem ita Sullam reprehendendum esse censeo, ut vix aliter fieri potuisse fateri nos oporteat.

De proscriptorum filiis atque nepotibus haec erant, quae proferenda esse videbantur: cum Sallustio igitur (Catil. 37) non minus consentire debe-

mus quam cum Plutarcho (Sulla c. 31), quorum ille jus libertatis illis imminutum fuisse dicit, hic adeo Sullam infames (ἠτίμωσε) reddidisse proscriptorum filios nepotesque memoriae prodidit.

§. 3.

De Corneliis qui dicuntur, quos inseruit tribubus.

Non nobiliores solum, qui legibus suis offecturi viderentur, sed ipsum quoque plebem omni ratione sese frenare debere, pulcre intellexit. Hoc ut sibi ex sententia succederet, non inutile fore arbitratus est, ipsi inserere plebi, quos sibi plane beneficiis devinxisset, quique a suo ipsius nutu prorsus penderent. „Itaque plebi, ut testatur App. b. c. I, 100, addidit ex proscriptorum servis florentissimum quemque aetate et viribus, amplius decies mille, libertate civitateque donatos et Cornelios vocatos de patroni nomine: qua re effecit, ut inter plebejos semper ad jussa facienda decies mille paratos haberet.“ Recte poterat meritoque sperare, fore ut omni ratione eniterentur, qui ex servis liberi facti essent cives Romani, ad ipsius acta sustentanda et confirmanda.

§. 4.

De coloniis militaribus.

Graves fuere proscriptiones, gravis invidiosa illa lex de proscriptorum filiis nepotibusque; frustra servorum talem copiam libertate civitateque nec donavit, nec eos suo nomine Cornelios appellatos inseruit tribubus: quid autem dicam de coloniis mi-

litaribus? Haud scio an multo majorem habuerint illae vim ad acta sua sustentanda et ab inimicorum impetu cum prospero successu defendenda. Quae quot fuerint et quo deductae, quas porro habuerint causas, de eo jam disseram. At illorum, quae explicanda sunt, occupavit partem Carolus Sigonius, qui multis mihi nominibus jam saepe in hoc libello fuit laudandus: cujus ego ita ingrediar vestigiis, ut quae ipse jam amplexus est, ea ego brevissime absolvam. Scilicet uberiora omnia atque cumulatiora quisque ex ejus pervulgatissimo opere de antiq. jure civium Romanorum facile repetet. cfr. de antiq. jure Ital. Lib. III, 4. Sullam iteratis vicibus deduxisse colonias persuademur quidem ex Livii historia. Epitomae enim l. LXXVII et LXXXIX aperte hoc indicant: nec tamen binas illas fuisse militares affirmare certo licet. Mihi multis ex causis verosimilius visum, militares, quae fere semper innumerabilibus fuere conjunctae cum injuriis, quarum antea nulla apparuit causa, illas duntaxat fuisse, quas Sulla deduxit dictator, reipublicae princeps et fere dominus. Quadraginta septem legiones, sive, ut Appian. refert I, 104, centum viginti millia virorum, in agros Italiae captos deduxit, eosque iis divisit. (Liv. Ep. l. LXXXIX.) Quot autem et quantis miseriis debuerint affici, quorum et agri et bona ita periissent omnia, quis est qui non intelligat? Per omnem quidem milites Sullani Italiam effusi (Plut. Cic. XIV): sed haud scio an longe plurimi sedem suam collocarint in Etruriae Samniique urbibus atque agris. De Samnitibus autem, ut oppida, in quae maxime Sulla colonos milites de-

duxerit, cum studio et industria enumerem, vix laborandum esse videtur. Quid enim? Omnes propemodum Samnites deleti atque exstincti sunt, omnes fere idcirco urbes pristinis suis privatae incolis. Vastationem factam esse miserrimam testatur Strabo l. V pag. 271 Basil. 1671 his verbis: „Ceterum hac tempestate omnino sunt confecti, cum ab aliis, tum postremo a Sulla — et proscriptionibus institutis non ante finem fecit, quam, quidquid Samnitici erat nominis, aut occidisset aut Italia ejecisset.“ Itaque multae urbes, cum Samnitium quae antea fuissent, tum quibus aliis maxime fuit infensus, quoniam omnibus nudatae essent incolis, sub hasta venierunt. Omnium splendidissima municipia, quibus hoc infortunium acciderit, exempli loco haec Flor. III, 21 affert: Spoletium, Interamnium, Praeneste, Florentiam. Aliae urbes, quarum nominatim Flor. affert l. l. Sulmonem, videntur esse plane excisae, agrique vacui relicti, quos impudentissime pauci sibi vindicarunt (Cic. de leg. agr. II, §. 12). Samnii miserrimam lugemus conditionem: nec Etruria in meliori multo versabatur causa, quandoquidem, sicut memoriae prodidit Sall. in Catil. c. XVIII (cfr. Plut. Cic. XIV), „Sullae dominatione agros bonaque omnia amiserat.“ Addo quod nonnisi de Volaterris (Cic. pro domo c. 30) et de Arretio Cicero refert (pro Caecina c. 33), civitatem Etruriae urbibus fuisse ademtam. cfr. or. Lepid. in fragg. Sall. §. 6 Orelli.

At vero quum non frustra videretur Sigonius expiscatus esse illarum coloniarum per scriptores

antiquos longe lateque dispersa vestigia, quo deduxisset Sulla, in quasnam sive Etruriae sive Latii sive Campaniae urbes: quid invenerit doctissimus vir, hic placet, ne omnino male aliquid deesse judicetur, breviter adumbrare. Obviae autem fuere in veteribus scriptoribus hae primum

Etruriae

urbes, militibus a Sulla dictatore concessae:

Faesulae. Cic. or. in Catil. III, 6.

Arretium. Cic. pro L. Murena XXIV.

Cortona. Dion. Hal. I, p. 20 et 21: „Croton vero cum diu retinuisset veterem formam, non multo ante nostram aetatem et cives mutavit et nomen, Cortona vocata et facta Romanorum colonia.“

Volaterrae. Liv. Ep. l. LXXXIX Cic. pro domo 30. ad Attic. I, 19. Epp. XIII, 4.

Latii hae:

Praeneste. cfr. Cic. de leg. agr. II, 28. in Catil. I, 3 §. 8.

Bovillae. De qua colonia ita loquitur Frontinus: Bovillae lege Sullana est circumductum. iter populo non debetur: agrum ejus ex occupatione milites tenuerunt in sortem.

Ceterum sicut Etruriam, ita Latium quoque ad magnam partem civitate per Sullam fuisse exutum, aperte indicat Lepid. in or. ad pop. Rom. §. 6 his verbis: „Sociorum et *Lati* magna vis *civitate* pro multis et egregiis factis a vobis data per unum prohibentur, et plebis innoxiae patrias sedes occupavere pauci satellites, mercedem scelerum.“ Tum

Campaniae

urbium haec apparent vestigia:

Nola. cfr. Front., qui scribit agrum Nolanum Sullae militibus fuisse assignatum.

Suessula. Idem testis Frontin. his verbis: „Suessula, oppidum muro ductum, lege Sullana deducta; iter populo non debetur, ager ejus veteranis militibus Sullanis in jugeribus est adsignatus.“

Pompeji. Cic. pro Sulla c. XXI.

Capua. cfr. Front. Plin. Cic. de leg. agr. II, 34.

Quaenam autem fuit ista immanis Sullae crudelitas, qua urbium incolas vel plane deleret, vel suis bonis agrisque omnibus privaret et exueret? Ecquid acerbius poterit cogitari, quam patriis et avitis bonis cedere, eaque relinquere debere militibus coactum omni armorum vi? Atrox illud, quod vere fuit, facinus neminem non gravissime commovebit; at ne arbitremur Sullam soli indulsisse animi crudelitati, nec prius fuisse provocatum et omni ratione lacessitum! Sicut omnium ejus actorum facile apparet causa, ita nec hic ut longe illam circumspiciamus opus est. In propatulo est Sullam

1) inimicos poenis afficere Romaeque tandem aliquando pacem reddere voluisse. Nimirum Cinnae Mariique partibus socii sese adjunxerant Romani, illos omni modo adjuverant atque sustentarant. Cujus quae intercedebat inter utrosque necessitudinis amicitiaeque causam aperit Vell. Pat.

II, 20 his verbis: „Cum ita civitas Italiae data esset, ut in octo tribus contribuerentur novi cives, ne potentia eorum et multitudo veterum civium dignitatem frangerent, plusque possent recepti in beneficium, quam auctores beneficii: Cinna in omnibus tribubus eos se distributurum pollicitus est.“ A Cinnae Mariique igitur victoria maxime dependere rati, utrum ipsi aliquando votorum fierent compotes an non, enixe pro popularium partium propugnarunt studiis. Quid? Num unquam socii quieturi videbantur, nisi in omnes XXXV tribus, quod tamen ad ipsam civitatis Romanae valebat perniciem atque interitum, vere dividerentur? Praeterea hoc tenendum est, socios eo fuisse in Romanos plerumque animo, ut quaevis precarentur illis mala adeoque civitatis exitium. cfr. Plut. Sulla c. 29: „Σαυνίτας καὶ Λευκανοὺς, τὰ ἔχθιστα τῇ Ῥώμῃ — φῦλα e. c. De Samnitibus hoc vere dici posse, in exemplo est Pontius Telesinus Samnitium dux. Ad portam Collinam in ipso adspectu urbis Romae tali dimicavit cum Sulla successu, ut victoriam reportaturus videretur. Hunc igitur animo prospiciens laetum casum, ordines sui exercitus circumvolans laetabundus hanc emisit vocem, quam Vell. Pat. II, 27 memoriae prodidit: „Adesse Romanis ultimum diem, eruendam delendamque urbem; nunquam defuturos raptores Italicae libertatis lupos, nisi silva, in quam refugere solerent, esset excisa.“ Quid? Nonne habuit Sulla, cur graviter vindicandos censeret illos socios, qui non multo ante ad summum adduxissent Romam discrimen et periculum? Quum incusarent

multi ejus crudelitatem, qua Samnites persequeretur, respondit, ut testatur Strabo l. l.: experientia sese edoctum, neminem quemquam Romanorum quieturum, quamdiu Samnites inter se cohaererent. At non solum socios voluit afficere poenis, qui favissent Marii partibus;

2) voluit beneficia conferre in suos milites. Quod aperte indicat App. I, 96. Aliquanto profecto hic prudentius, quam Lepidus in or. ad pop., qui insipienter ita locutus est ad confirmandos atque erigendos plebis animos: „Itaque maximam mihi fiduciam parit victor exercitus — quum relegati in paludes et silvas, contumeliam atque invidiam suam, praemia penes paucos intellexerint.“ Quasi vero Sullae magis interfuisset, milites sibi infensos, quam quavis ratione reddere propitios! Colonias autem militares maxime eam ob causam deduxit,

3) ut istis militibus sua sustentarentur facilius acta. Quod bene idem indicat App. l. l., testatur Phil. Consul. in fragg. Sall., ubi ejus exstat ad senatum oratio, qui contra Lepidi exercitum Sullanos milites evocandos esse censet. Dicit enim ita §. 11: „Adest novus exercitus, *ad hoc coloniae veterum militum.*“ Et per deos immortales, Sullam milites sui gestabant in sinu amplexuque (cfr. Plut. Sulla 27), nec unquam illa desiit benivolentia, qua ducem prosequerentur. Quid? Imo Sullae mortui pie recolebant memoriam, ejusque ad exsequias celebrandas tali confluebant studio Romam ex lon-

ginquis regionibus armati milites veterani, ut dilectissimi ducis funus omnis exercitus comitari videretur. cfr. App. b. c. I, 105, 106. Quo factum est, ut justa funebria persolverentur celebriora, et nefarii Lepidi impetus hoc certo tempore reprimerentur!



